1185.

...poliensis

Academiam Leopoliensem nuper institutam Leopo...
nullis Regni iuribus adversari.

ACADEMIAM

nuper inſtitutam Leopoli Nullis Regni Legibus adverſari, Legitimae Auctoritatis permiſſu probatur.

Opuſculum ex Polonica lingvo in Latinam converſum.
Ibidem Annô Dni MDCCLX.

COntra hanc Academiam *ſubſcribente Rege, probante Summo Pontifice, nuper inſtitutam* Cracovienſes & Zamoſcenſes Academici. VV. Clar: plurima toto Regnô ſparſerunt Scripta.

Multa obiecere. Rei tamen cardo in eo vertitur, num nova haec Academia vetuſtiorum illarum (Cracovienſis, inquam, & Zamoſcenſis) Academiarum Juribus, nec non Regni Legibus repugnet. Minime repugnare, ita hoc ſcripto oſtenditur, ut maxima qvum brevitatis, tum inclytarum illarum Academiarum honoris, ratio habeatur.

PARS I.

Leopolienſem Academiam legitima auctoritate inſtitutam eſſe, ipſismet auctoritatibus producendis probatur.

Auctoritas Regia

AUGUSTUS III.

DEI Gratia Rex Poloniae M. Dux Litvaniae Ruſ-

siae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kiioviae, Volhiniae, Podoliae Podlachiae, Smolensciae, Severiae, Czerniechoviaeque, nec non hereditarius Dux Saxoniae & Princeps Elector.

Significamus præsentibus literis nostris, quorum interest, universis & singulis, exhibitum nobis esse Privilegium Serenissimi Divæ memoriæ JOANNIS CASIMIRI Regis Poloniæ Antecessoris nostri, Erectionis Collegii Leopoliensis Societatis JESU in Titulum Universitatis seu Academiæ de data ejus Cracoviæ die vigesima mensis Januarii, Annô Domini Millesimô sexcentesimô sexagesimô primô emanatum, manu Ejusdem Serenissimi Regis JOANNIS CASIMIRI subscriptum, ac Sigillô majoris Cancellariæ Regni munitum, actisq; metricis Regni ingrossatum, inde verò authenticè extractum, cujus tenor sequitur, estq; talis. AUGUSTUS III. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kiioviæ Volhyniæ Podoliæ, Podlachiæ, Smolensciæ, Livoniæ, Severiæq; Czerniechoviæq; Nec non Hæreditarius Dux Saxoniæ, & Princeps Elector. Significamus præsentibus literis nostris, quorum interest universis, & singulis reperiri in actis metrices Regni oblatam Privilegii infrascripti tenoris sequentis JOANNES CASIMIRUS &c. significamus &c. Quomodo coram actis Metricæ Regni, Cancellariæ majoris comparens personaliter Rndus Pater Andreas Sikorski Societatis JESU Presbyter, Jllustrissimi & Reverendissimi in Christo Patris Domini Nicolai in Prażmow Prażmowski Episcopi Luceorien: & Brestensis, Supremi Regni Cancellarii Theologus, obtulit ad actis præsentibus inserendum privilegium Collegio Religiosorum Patrum Soc: JESU Leopolien: super noviter erigendam ibidem Academiam à Nobis nuper benignè concessum; manu Nostra subscriptum, & sigillo Regni majoris communitum, sanum, salvum, & illæsum omniq; suspicionis nota carens, petens suscipi, & sibi ex iisdem actis descriptum authenticè extradi. Cujus quidem Privilegii tenor sequitur, estq; talis. JOANNES CASIMIRUS DEI Gratia Rex &c: ad perpetuam rei memoriam & notitiam posteritatis significamus, Regnorum, Regumq; felicitas tantùm sapientiæ debet quantùm initiis ac incrementis assurrexit. Nihil enim prospere, nihil providerè vel inhoare vel producere Principibus populisq; licet. Fulciri quin etiam ac firmari status Imperiorum citra Consilii robora non possunt. Quò magis æquum est magistras eruditionis literas, omnisq; politioris doctrinæ Parentes simul, ac nutrices ab iis foveri quicunq; rerum gubernaculis admoti publica moderantur. Hinc illud veteris ævi, totiusq; adeo cultæ antiquitatis, ac Divinarum humanarumque scientiarum propagatione studium illæ in promovendis artibus honestis ac liberalibus curæ nec perleves, nec pervulgares. Profectò ne quidem Divi Prædecessores nostri Duces & Reges Poloniæ, tot inter cruenta bellorum, & turbida, mansvetas tranquillasq; illæsas neglexere. Idem ipse erga Togatam & Sagatam Palladem amor, Genius in arenas idem, ac Palestras. Admissaq; sub ipsum fidei Catholicæ Regii diadematis auspicium minervæ noctua nido Lechicæ Aquilæ insedit, dum Gnesnense Gymnasium avida sciendi Principum Procerum simplicitas, superius jam inde sceptro, Throno, lustris erexit. Tum dein profusa sæculis aliquot commoda, fructusq; uberes, quò pretium gravius, eò ardentius melioris literaturæ desiderium pluribus injecerunt. Cui Serenissimus Antecessor Abavusque Noster Divus VLADISLAUS JAGELLO largè restingvendo: venam fontemq; aperuit. Cum Almam Academiam Cracoviensem omnimodis redundantem disciplinis, non exili operæ ac impensæ lucrô Polonæ præstituit Juventuti. Æmulata gloriam successorum in sapientiam benignitas Divi præsertim STEPHANI

Regis,

Regis, qui tot Collegia Religioſis Patribus Societatis JESU inſtituit, dotavitque, Deſideratiſſimus item Genitor noſter Divus SIGISMUNDUS. Vilnenſem Academiam inſignibus prærogativis ac privilegiis decoravit, & Cracovienſe iiſdem PP. Societatis JESU Collegium a primis excitavit fundamentis. Cum verò plurimum interſit, ut in Roxolanis quoq; Provinciis & in Regionibus ſolidæ veritatis virtutiſque profeſſioni debitus adſtruatur honor; faciles ac libentes in animum induximus, ut Collegio Leopolienſi Societatis JESU Academicæ dignitatis acceſſio nobis annuentibus fiat, tituluſq; Univerſitatis deferatur. Damus igitur poteſtatem in eodem Leopolienſi Societatis JESU Collegio, generale ſtudium in omni licita facultate conſtituendi, Theologiæ nimirum tam ſcholaſticæ, quam moralis, Philoſophiæ, Matheſeos, juris utriuſq; medicinæ, liberaliumq; artium & diſciplinarum, ac ſcientiarum omnino omnium, quaſcunq; prædicti Patres Societatis JESU tractandas ibidem per ſe vel per alios cenſuerint, pro ipſorum arbitrio ac inſtituto, conſvetoq; Academiarum & Univerſitatum more & praxi. Atque id ſub nomine Univerſitatis Academiæ ſtatuimus; perpetuis deinceps temporibus duraturum. Quæ quidem Academia & Univerſitatas, volumus, ut iis, talibuſque juribus, Privilegiis, libertatibus, prærogativis, immunitatibus, titulis, inſignibus, muneris, officiiſq; & quomodolibet denotandis favoribus, beneficiis, indulgentiis, gaudeat & fruatur nunc, & in ævum, quibus & qualibus gaudent, ac fruuntur Cracovienſis Vilnenſiſque Academiæ ac Univerſitates noſtræ, nec minus, quam ſi quaque hic ſigillatim conceſſa & expreſſa forent, pro conceſſis & expreſſis habendo declaramus, Academicos potiſſimum gradus, Laureas, Magiſteria, Licentiaſqué & Doctoratus, ac cæteras Univerſitatibus, uſitatas promotiones, & ſolemnitates, quas quot & quomodo peragi moris eſt, conſtituimus atque ut validè licitéque in ea ipſa Leopolienſi Societatis JESU Univerſitate peragantur, & celebrentur, permittimus, ac indulgemus. Regimen porro Univerſitatis directioqué omnis penes Religioſos PP. Societatis JESU integra ſemper erit; ut pote quorum inſignis dexteritas & ſedulitas in ſcholaſticis inſtitutionibus orbe toto, atque hoc etiam Regno probatur, & quibus ratio formandæ ad pietatem ac eruditonem Juventutis probè perſpecta, penitusque recognita eſt. Eo tamen ſæpe memorati Patres minimè prohibentur, quominus honorem, munus, aut præeminentiam ex Academicis aliquam ad alios liberè ſponteq; valeant deferre. Promittimus denique pro nobis Sereniſſimiſque Succeſſoribus Noſtris Nos dictam univerſitatem Leopolitanam in his omnibus, quæ ad integritatem illius ſpectant, in valore vigorequé ác nitore ſuo conſervaturos, & propugnaturos. Quod ipſum etiam Sereniſſimi Succeſſores Noſtri ſunt perpetuo præſtituri. Ut autem res hæc vim, ac robur majus habeat, Regiam manum Noſtram apponimus, ac erectionem hanc Academiæ & Univerſitatis ſubſcribimus, Sigilloq; Regni Diploma ſeu Privilegium iſtud muniri mandavimus. Dat: eſt Cracoviæ die vigeſima menſis Januarii Annô Domini, Milleſimô Sexcenteſimô Sexageſimô Primô, Regnorum Noſtrorum Poloniæ & Sveciæ XIII Annô. JOANNES CASIMIRUS Rex (Locus Sigilli Majoris Cancellariæ Regni) Stephanus. Hankiewicż S. R. M. Quod quidem Privilegium actis præſentibus inſeri & ex iiſdem in authentica forma extradi permiſimus. In cujus &c. Actum Czeſtochoviæ, Sabathô poſt Feſtum Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis proximô Die ſcilicet quinta Februarii Annô Dominii Milleſimô Sexcenteſimô Sexageſimô Primô, Relatio Jlluſtriſſimi & Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Nicolai Prazmowſki Supremi Regni Cancellarii. Quam ejuſmodi oblatam Privilegii ſupra ſcripti prout in actis metrices Regni continetur, Nos ex iiſdem actis fideliter de verbo ad verbum deſcribi & Parti poſtulanti, authenticè extradi permiſſimus. In quorum fidem Sigillum Regni eſt appreſſum. Datum Varſaviæ Feriâ quartâ poſt Dominicam Miſericordiæproxima Die, ſcilicet vigeſima ſeprima menſis Aprilis Anno Domini Milleſimo Septingenteſimo Quinquageſimo ſeptimo, Regni vero noſtri Annô vigeſimo quarto, Locus Sigilli Regni. Michael Wodzicki Procan-

cellarius Regni. Relatio Jlluſtriſſimi Excelentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Michaelis Comitis de Granow, Wodzicki Decani Cathedralis Cracovien: Abbatis Commendatarii Czerven: & Claræ Tumbæ Mogilnenſis, Procancellarii Regni. Joannes Słomiński M. Rni Præfectus Sacræ Regiæ Majeſtatis Secretarius. Supplicatum itaq; Nobis eſt, Nomine & pro parte memoratæ Univerſitatis Leopolienſis Societatis JESU per certos Conſiliarios Noſtros lateri Noſtro aſſidentes, quatenus ipſis præinſertum Privilegium omniaq; in eo contenta confirmare approbareq; dignaremur. Nos itaq; AUGUSTUS III. Rex hujuſmodi ſupplicationi uti juſtæ benignè annuentes, inſiſtendo decreto judiciorum noſtrorũ poſtcurialium Regni, feriâ tertia poſt Dominicam Reminiſcere Quadrageſimalem proxima die ſcilicet vigeſima prima Menſis Februarii, Anno currente Milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo octavo, ex controverſiis prolato, agnitæ nimirum ex vi præinſerti Privilegii coæquationis jurium, & Privilegiorum memoratæ Univerſitatis Leopolienſis Societatis JESU cum Academia & Univerſitate Cracovienſi, idem Privilegium ſupra inſertum confirmandum & approbandum eſſe duximus, ita videlicet, ut eadem Academia ſeu Univerſitas Leopolien: Societatis JESU, iiſdem juribûs & Privilegiis omnibus gaudeat, quibus juribus & Privilegiis ſive per conſtitutionem Anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi quinti, ſive alio tempore ſibi conceſſis Academia Cracovien: gaudet, confirmamus, approbamus, & ratificamus, præſen: literis Noſtris perpetuò & in ævum duraturis. In cujus rei fidem præſentes manu Noſtra ſubſcriptas, Sigillô Regni communiri juſſimus. Datum Varſaviæ Die XIX. Menſis Aprilis Annô Domini 1758. Regni vero Noſtri XXV. Annô.

AUGUSTUS REX

(L.S.)

Auctoritas Pontificia
B U L L A
SS. D. N. CLEMENTIS XIII.
Jn Nomine Domini Amen.

CUNCTIS ubiq; pateat. & evidenter ſit notum, quod Annô à Nativitate Domini Noſtri JESU Chriſti Milleſimô ſeptingenteſimô quinquageſimô nonô, Pontificatûs autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri, Domini CLEMENTIS XIII. Divinâ Providentiâ Papæ Annô primô, Ego Officialis infraſcriptus vidi, & legi quaſdam Literas Apoſtolicas ſub plumbo more Romanæ Curiæ expeditas tenoris ſequentis, videlicet: CLEMENS Epiſcopus Servus Servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. In ſupereminenti Eccleſiæ ſolio nullis licèt noſtris meritis ſed inſcrutabili tantùm Divinæ Bonitatis conſiliô conſtituti, ſolicitas animi noſtri cogitationes in id omne intendimus, quod populorum utilitati, animarumque ſaluti, ac Reipublicæ Chriſtianæ incolumitati noſcimus profuturum. Qua propter cùm literarum & ſcientiarum ſtudiis Juvenilis ætas ad veritatem agnoſcendam, juſtitiam colendam; pietatemque ſequendam informetur, indeque ſolertes Dominicæ Vineæ Operarii, egregiique Catholicæ veritatis & Eccleſiaſticæ diſciplinæ Aſſertores ac vindices inſtituantur, idcirco libenti animo Apoſtolicæ Authoritatis Noſtræ præſidium & favorem impendimus, ut huiuſmodi

modi ſtudia ubilibet quantum patitur rerum & locorum conditio excitentur, ac magis magiſq; urgeantur. Sanè pro parte dilecti Filii moderni Rectoris Collegii Studiorum Societatis JESU Civitatis Leopolenſis nobis nuper exhibita petitio continebat: quod quamvis Collegium prædictum ob aſſiduum Profeſſorum dictæ Societatis laborem juxta laudabile ipſius Societatis inſtitutum, & non vulgarem eorundem in edocendis bonis artibus & ſcientiis peritiam à Juvenibus illarum partium plurimùm frequentetur, ac etiam Chariſſimus in Chriſto Filius Noſter AUGUSTUS Poloniæ Rex Jlluſtris, conceſſiones & privilegia alias per claræ memoriæ JOANNEM CASIMIRUM, dum viveret dicti Regni Regem eidem Collegio elargita, confirmando, & adprobando Collegium ipſum Regia ſua auctoritate Univerſitatis titulo & privilegiis omnibus, quibus Univerſitas Studiorum, ſeu Academia Cracovienſis ſimili Regia conceſſione gaudet ornaverit, & gaudere voluerit, nihilominus ſi idem Collegium Apoſtolica auctoritate in publicam & generalem Studiorum Univerſitatem erigeretur, eique omnia & ſingula prædictæ Cracovienſi & aliis, præſertim Regni Poloniæ Univerſitatibus Studiorum generalium conceſſa privilegia, ut infra tribuerentur, & concederentur, novum ipſi juventuti ac Nobilibus Polonis adderetur ad bonas artes excolendas & ſtudia proſequenda incitamentum. Pro qua quidem erectione & conceſſione Apoſtolica, Jndulto noſtro perficienda Jdem AUGUSTUS Rex datis ad Nos Literis graviſſimum Regiæ ſuæ petitionis momentum adjecit. Quare pro parte dicti Rectoris Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dicti Collegii decori & ampliori celebritati conſulere, nec non Juventuti illarum partium, ut poſt ſedulam operam ſtudiis ipſis præſtitam, debitas prærogativas & præmia ad DEI gloriam & Catholicæ puræque Fidei qua imbuti fuerint, propagationem & decus, aſſequi valeant, de Apoſtolica benignitate providere dignaremur. Nos igitur ſatis perſpectum habentes prædictæ Societatis Alumnos ex proprii inſtituti lege in id potiſſimùm Sudioſos labores ſuos dirigere, ut, cum ſcientiarum doctrina ſolidam pietatem Diſcipulorum animis inſerant ac omnium utilium diſciplinarum ſtudia ſimulq; Catholicæ Religionis proſpera augmenta quantum in nobis eſt promovere cupientes, dictumq; modernum Rectorem à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſq; Eccleſiaſticis ſententiis, & cenſuris, & pænis à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati dictum Collegium Societatis JESU in prædicta Leopolienſi Civitate jam erectum & inſtitutum, Regiiſq; privilegiis, ut præfertur donatum, ubi Scholæ nunc habentur, ſeu forſan in poſterum ampliori forma conſtituentur in publicam ſtudii generalis Univerſitatem, in qua dictæ Societatis Alumni & Profeſſores Grammaticam, Rhetoricam, Philoſophiam, & Theologiam Scholaſticam & Moralem, ac etiam Dogmaticam & Poſitivam, Sacroſq; Canones ipſumq; Jus Canonium: nec non, per Lectores tamen ſæculares, etiam Jus civile, aliarumq; ſcientiarum ſtudia profiteantur, & Juvenes, quoſcunq; doceant, Apoſtolica auctoritate, ipſarum tenore præſentium, ſine tamen alicujus præjudicio, in perpetuum erigimus & inſtituimus; ipſumq; Collegium ſic in publicam Univerſitatem erectum & inſtitutum Curæ, Regimini, ac adminiſtrationi dictæ Societatis illiuſq; Præpoſiti Generalis pro tempore exiſtentis, & pro eo Rectoris ab ipſo deputandi, eadem auctoritate etiam perpetuò ſupponimus, & ſubmittimus. Ac eidem Univerſitati ſic erectæ & inſtitutæ, illiuſq; moderno & pro tempore exiſtenti Rectori, nec non Lectoribus, Magiſtris, Scholaſticis, aliiſq; Perſonis pro ejus Regimine & adminiſtratione pro tempore deputandis quibuslibet, ut omnibus & quibuſcunq; privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, prærogativis; honoribus, & præeminentiis prædictæ Cracovienſi aliiſq; ſimilibus publicis ſtudiorum generalium Univerſitatibus, illarumq; pro tempore exiſtentibus Rectoribus Magiſtris, Lectoribus, Doctoribus, Præceptoribus, Scholaſticis, Profeſſoribus, Bidellis,

Nunciis, Officialibus, Miniſtris, & aliis Perſonis in genere vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, non ſolum ad eorum inſtar, ſed pariformiter, & æque principaliter in omnibus & per omnia uti, potiri, & gaudere; ac inſuper prædicto moderno & pro tempore exiſtenti Rectori Univerſitatis ut præfertur erectæ hujuſmodi per dilectum Filium modernum & pro tempore exiſtentem Præpoſitum Generalem dictæ Societatis pro tempore deputando, ut quoſcunq; ad illam accedentes, ac per debitum tempus ibidem ſtudentes ſi ſcientia & moribus idoneos eſſe repererit in omnibus facultatibus, quæ in dicta Univerſitate, ut præfertur; docentur & leguntur ad Baccalaureatus etiam formati, Licentiaturæ, Laureæ, ac Doctoratus, nec non Magiſterii, & quoſcunq; alios ſolitos gradus, ſervata tamen in omnibus Decretorum Viennenſis & Tridentini Conciliorum juxta alias laudabiles quarumlibet publicarum Univerſitatum conſvetudines promovere, illiſq; ſic promotis, ut poſt promotionem hujuſmodi ſolita inſignia deferre, & geſtare, & facultates, ad quas promoti fuerint docere & legere, ac interpretari in iiſq; diſputare, nec non quoſcunq; actus gradui; ſeu gradibus per eos receptis convenientes, ac alias omnibus & ſingulis privilegiis gratiis, favoribus, prærogativis & indultis, quibus alii in cæteris Univerſitatibus juxta illarum ritus & mores ad gradus ipſos promoti de jure vel conſvetudine, aut alias utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſunt & poterunt, quomodolibet in futurum æquè principaliter uti potiri & gaudere liberè & licitè poſſint, & valeant, etiam ac reſpectivè debeant & teneantur, eadem auctoritate, harum quoq; ſerie concedimus & indulgemus. Propterea eidem moderno & pro tempore exiſtenti Præpoſito Generali ut pro felici ac proſpero ipſius Univerſitatis ut præfertur erectæ regimine & gubernio, ac magis apta methodo, & norma Literas, & ſcientias ibidem docendi, ſtatuendiſq; Religioſis ac piis exercitiis, quæ per ipſius Univerſitatis Alumnos & Studentes frequentari debeant, per ſe vel alium, ſeu alios quæcunq; ſtatuta & ordinationes, licita tamen & honeſta ac Sacris Canonibus, & prædicti Concilii Tridentini Decretis ac Conſtitutionibus Apoſtolicis minimè contraria edere, & promulgare, ac edita & promulgata pro rerum tempore & opportunitate mutare, corrigere, & reformare, ſeu illa caſſare, vel abrogare, aliaq; de novo condere, edere, & publicare, & pro illorum obſervatione adverſus contravenientes pœnas condignas ſtatuere & ſtatutas pro merito irrogare, nec non dictæ Univerſitatis, ut præfertur erectæ Lectores, Magiſtros, Scholaſticos, Promotores, Bidellos, alioſq; Miniſtros & Officiales eligere, & nominare, ac electos & nominatos amovere liberè & licitè pro ſui arbitrio poſſit, & valeat, plenam & liberam facultatem eadem auctoritate per præſentes tribuimus & impertimur. Præterea quibuscunque aliarum Univerſitatum & Scholarum Moderatoribus & Præſidentibus, Regentibus, Lectoribus, Miniſtris, & quibuſvis aliis, etiam Superioribus Perſonis, ac Loci quoq; Ordinario ne Univerſitatis ut præfertur erectæ Rectorem, Lectores, Magiſtros, Scholaſticos, Miniſtros, & Perſonas, nec non Studentes, quovis prætextu per ſe, vel alium ſeu alios ſuper libero Jurium ipſius Univerſitatis, ut præfertur erectæ, ac privilegiorum ei etiam, ut præfertur conceſſorum uſu, & exercitio impedire, inquietare, vel moleſtare quoquo modo audeant, ſeu præſumant, interdicimus, & inhibemus. Decernentes eaſdem præſentes & in eis contenta quæcunq;, ſemper firmas, validas & efficaces exiſtere, ſuoſq; plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunq; ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis inviolabiliter obſervari. Sic quem inpræmiſſis per quoſcunq; Judices ordinarios & delegatos cauſarum etiam Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictæq; Sedis Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpræcandi facultate, & auctoritate judicari & definiri debere irritum quoq; & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordina-

tionibus

tionibus Apostolicis, privilegiisquoq; , indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet forsan concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro planè & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice duntaxat harum quoque seriè specialiter & expresse derogamus, & derogatum esse volumus contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc, nostrarum, absolutionis, erectionis, institutionis, concessionis, indulti, facultatum, attributionis, & impertitionis, interdicti, inhibitionis, mandati, decreti, & derogationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, Ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem. Annô Jncarnationis Dominicæ Millesimô Septingentesimô Quinquagesimô Nono Septimo Calendas Aprilis. Pontificatus Nostri Annô Primo, Loco † Plumbi. Super quibus Ego Notarius Apostolicus infrascriptus præsens Transumptum confeci, & signavi præsentibus D. D. Francisco Blasi & Carolo Colelli Testibus.

Concordat: cum Originali. F. Riganti Officialis Coad:
L. Subdatarius
Ita est Philipus Pinelli
Notarius Apostolicus.

(L.S.)

SUprascriptam Copiam ex Authentico instrumento Romano Bullæ Pontificiæ pro erigenda Universitate Leopoliensi: favore RR. & Adm Rndorum Patrum Soc: JESU Collegii Leopoliensis, emanatæ, de verbo ad verbum depromptam, confrontatam, & Collationatam, concordare attestor. Jn cujus rei fidem, præsentes subscripsi, & Sigillô Jllustrissimi & Reverendissimi Domini Stephani de Mikulicze Mikulski Juris utriusq; Doctoris, Canonici Cathedralis, Sede vacante Archi-Episcopatus Leopoliensis, Administratoris Gnlis' Custodis Stanislaopoliensis, communivi. Leopoli die Septima Mensis Xbris Annô Dni 1759.

(L.S.)

Adalbertus Mirkiewicz Cancus,
Penitrius, Aptlicus, & Consistorii
Gnlis Leopolien: Nrius.

STEPHANUS
De Mikulicze
MIKULSKI
Juris Utriusque Doctor, Canonicus Cathedralis, ac Sede vacante Archi-Episcopatûs Leopoliensis Administrator Generalis, Custos Stanislaopoliensis.

UNiversis & singulis, quorum interest: aut quomodolibet interesse poterit, notum facimus, ac Fide publica testamur, in præsentis transumpti cum sua Originali Bulla [quam vidimus legimusque) confrontatione, legalisatione, & subscriptione, veram esse Manum, Apostolici & Consistorii Nostri Leopoliensis Notarii. In quorum fidem &c. Datum Leopoli Die Septima Mensis Decembris, Annô Domini Millesimô Septingentesimô Quinquagesimô Nonô.

Stephanus MIKULSKI
Can: Cathrlis A. G. L.

PARS II.

Academiam Leopolienſem nihil dignitati, nihil Juribus & ornamentis inclytarum Cracovienſis & Zamoſcenſis officere, nihil Regni legibus repugnare oſtenditur.

§. Imus.

Cracovienſis & Zamoſcenſis Academiæ Dignitatem eſse ſalvam.

CRacovienſis Academiae amplitudo & dignitas his, niſi fallor, continetur rebus. Viris primum tota Polonia atque adeo Europa clariſſimis, poteſtate dein creandi Doctores, alioſque ejuſmodi Academiarum Magiſtratus, praeferendique publice ornamenta quaedam ac inſignia; adextremum ipſamet ſuae vetuſtate originis. Quo quidem poſtremo nomine merito eadem Cracovienſis Academia appellari poſſit, primus in Polonia eruditionis fons, & probata docendi norma: ex quo praeſertim Gneſna nec Regni nec Literarum, ut olim aevo D. Stanislai erat, iam ſedes eſt. Atquihoc decus Cracovienſi Academiæ manet etiamnum integrum.

Ut enim olim a primo ſuo exortu erat (quod VLADISLAI JAGIELLONIS vorum ac verbum fuit) *ſcientiarum praevalentium Margarita viros producens maturitate conſilii conſpicuos, & virtutum ornatibus redimitos & variae facultatis doctrinis eruditos*: quos inter religioſe colimus BB. Joannem Cantium, Joannem Bonner, Simonem de Lipnica; ut item eſt conſpicua doctiſſimo juxta atque Sanctiſſimo Hoſio Varmienſium Pontifice illo Clariſſimo Purpuratorum Patrum lumine, illoque viro qui tam praeclaram Chriſtianae Reip. in Tridentino Concilio navarit operam; ut rurſus Eadem celebratur Petro Skarga ſuo quondam alumno, qui Polonicus aevi ſui Chryſoſtomus cum Sacræ qua praecipue pollebat eloquentiae nomine, tum eximiae inprimis Sanctitatis promerito ab Hyacyntho Liberio J. U. D. appellatus fuit; ut denique hac etiam tempeſtate quum Cracovienſis, tum Zamoſcenſis quoque Academia eximiis gloriatur Doctoribus non virtute modo ac eruditone ſed & ortu ac ſangvine, ac Pontificia Dignitate JLLUSTRISSIMIS; quominus deinceps ita quoque glorietur; per Leopolienſem quidem recens apertam Academiam non ſtabit.

Ut uſque adhuc eadem illa utraque Academia gaudebat jure Doctores creandi, alioſque literarum honores conferendi; utendi praeterea inſignibus Academicorum propriis, ita utrique poſt conditam quoque Leopolienſem Academiam hoc idem ius ſartum tectumque ſtabit.

Stabit Venerabilis ambarum vetuſtas, inprimis vero Cracovienſis Academia principem ſemper in Polonia obtinebit locum. At vero Leopolienſis iſta gloriae ſibi ducet, in illius intueri exempla, venerari dignitatem ac vetuſtatem, gratiam ac amicitiam conciliare officiis.

Liquet igitur Leopolienſem Academiam nihil de dignitate qvum Cracovienſis, tum Zamoſcenſis Academiae deterere.

§. IIdus.

Eandem Leopolienſem Academiam nihil Regiis Academiae Cracovienſis & Zamoſcenſis Juribus derogare. ac primum Academiae Cracovienſis jus conſideratur.

CASIMIRUS Magnus (a) Anno 1391 Summo Pontifice Urbano approbante, Caſimiriae (quae Cracovienſis urbis eſt portio) ſumptu regio eandem Academiam coepit, nec tamen coepta morte impeditus perfecit, Vladislaus igitur Jagiello rem denuo aggreſſus eandem Academiam cum condidiſſet Cracoviae, hoc illam edicto communivit, atque ornavit.

VLadislaus Rex Poloniae &c: Significamus quod cum ſupernæ diſpenſationis (b) *proviſione, de gentilitatis erroribus ac tenebris ad lucem & ſui nominis agnitionem eduxit miſericorditer: & tandem ad Regale dignitatis faſtigium exaltavit: ad hoc curam noſtram diligentiæ præſtantius extendimus, ut quos olim in erroris vetuſta caligine conſtituti ſocios tenebrarum habuimus, ſignanter Indigenas Terræ noſtræ Lithvaniæ, per aſſuefactionem & exercitium piorum operum, ſine quibus iſpa fides vacua fore noſcitur, eo magis in filios lucis convertamus: id tamen horum ope pariter & opera, quorum animos in fundamentis ſcripturarum peritos eſſe noſcimus, & artibus virtuoſis Reipub, ſtabilitas ſemper ſalubribus proficit incrementis. Videmus equidem, & certo certius experimur, qualiter Pariſia per convocationem & congregationem peritorum & prudentum Franciam irradiat: Patavium cum Bononia totam Italiam clarificant: Praga Bohemiā illuminat Almanniam Uxonia illuſtrat: profecto ad hoc ſummi diſpoſitione præſidii plurimorum gentium & diverſarum regionum obtinuimus Principatum, & Regni Poloniæ prædicti recepimus Diadema, ut ipſum Regnum doctarum perſonarum ſtudiis illuſtremus: Quorum doctrinis ignorantiæ cæcitate ſublata de medio, Regnum ipſum in tempore noſtri regiminis felicis, cæteris regionibus poſſumus coæquare: non dubitantes id ipſum Regni noſtri*

Si hoc edicto omnes coeterae in Poloniae Regno Academiae veterantur tollerenturve, quonam pacto Zamoſcenſis, quo Vilnenſis Academia, iſti, Regio in Cracovienſem Academiam beneficio, iſti, inquam eidem edicto tam aperte repugnans ac derogans tolerari in Regno potuiſſet? cur non illarum initiis appellanda Rep. eſt itum obviam? cur Academia Cracovienſis non retulit ad Regni ordines Academiarum ejuſmodi multiplicationem tam de Regni ejuſdem legibus, quam de ſuis Academicis derogare iuribus? cur non tanto ardore obſtitit ne conderentur illae, quanto iam obſtat hodie, ne inſtituatur iſta? nempe tum vidit Reſp. hoc JAGIELLONIS edicto nihil contineri ejuſmodi, quo novarum in poſterum Academiarum inſtitutio prohiberetur. Quare tum Zamoſcenſem, tum Vilnenſem Zamoſcenſi paulo antiquiorem ultro ac lubens approbavit. Eſt vero, eſt cur in ſpem veniamus, fore, ut ea ipſa begniſſima juxta ac Sapientiſſima Reſp: id ipſum aliquando judicet; atque declaret etiam de Leopolienſis iſtius Academiae cauſa. Certe id faciendi nec authoritas illi deeſt, neque pro eximio in Societatem JESU ſtudio voluntas videtur defutura. Id quod eadem minima Societas, qvum ab uinverſis Regni Ordinibus expo-

(a) *Bilſki* L. 2. & 3. (b) *Przyluſki* L. 1. c. 4. *ar.* 14. *lege* 1.

nostri subditis salubriter: profuturum, in Civitate nostra Cracovien: in qua studium vigeat generale, in qualibet licita facultate, utpote in THEOLOGICA, Juris Canonici, Physicæ, Legum, & artium liberalium facultatibus, nominandum, eligendum, constituendum, ponendum; ordinandum, & erigendum dignum duximus: & tenore præsentium facimus, & instituimus, temporibus perpetuis duraturum. Sitq; ibi scientiarum prævalentium Margarita, ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum ornatibus redimitos, & variæ facultatis doctrinis eruditos: fiatq; illic fons doctrinarum irriguus, de cujus plenitudine hauriant universi, literarum cupientes imbui ornamentis.

scit supplex, tum, si impetret, fore se illis gratissimam, religose pollicetur.

Quoniam vero leges Regni (*Constitutiones* vocant,) mox producendae quidquid propter honorem & gratia Cracoviensis Academiae decernunt, illud totum ad ejusdem jura referunt, iisque niti volunt, id quod videmus *in Constitutione* 1613, haec autem jura per CASIMIRUM Magnum eidem Academiae collata, planissime amplissimeque VLADISLAI JAGIELLONIS explicantur edicto; proinde operae pretium erit istud ipsum edictum, nempe omnium tam Regni legum, quam Academiae jurium basim ac fundamentum penitius introspicere.

Videmus, inquit Vladislaus, *& certo certius experimur, qualiter Parisia per convocationem & congregationem peritorum & prudentum Franciam irradiat: Patavium cum Bononia totam Italiam clarificat: Praga, Bohemiam illuminat: Almaniam Uxonia illustrat: profecto ad hoc summi dispositione Praesidii, plurimarum gentium & diversarum regionum obtinuimus principatum, & Regni Poloniae praedicti recepimus diadema; ut ipsum Regnum doctarum personarum Studiis illustremus.* Expendat, qui vult, qua maxima potest diligentia, non verba modo haec, sed ipsos adeo verborum apices, videatque etiam atque etiam, num isto loco instituendis aliis in Poloniae Regno Academiis interdictum sit. Jd enim vero si quis ex his Regii edicti verbis colligendum putet; ei demonstrandum inprimis erit, Parisios Patavium, Bononiam, Uxoniam, (Oxonium nunc vocant) eo iure apud suos esse; ut neque in Gallia praeter Parisinam, neque in Jtalia praeter Patavinam ac Bononiensem, neque in Germania praeter Uxoniensem Academiam, alias moliri Academias concessum sit.

Jstud autem ecquis affirmet sanus, cum & Gallia praeter Parisinam, Aureliaci, Pictavii, aliisque in Urbibus bene multis; [a] & Jtalia praeter Patavinam ac Bononiensem, Neapoli, Perusii, Parmae, Ferrariae, Pisis, &c; & Germania ultra Oxoniensem Britannicam, Viennae Austriae, Monte Myrtilorun Coloniae Ubiorum, Mergisburgi, Lipsiae, totque alias locis aliis Academias habeat.

Pergit Jagellonnis edictum. *In Civitate nostra Cracoviensi, in qua studium vigeat generale inqualibet licita facultate: utpote in Theologica, Juris Canonici, Physicae, Legum, & artium liberalium, facultatibus, nominandum, eligendum, constituendum, ponendum, ordinandum, & erigendum, dignum duximus, & tenore praesentium facimus, & instituimus.* Ex his pariter, quaenam, oro, elici potest lex, quae alias Academias, nominatim vero, quae Leopoliensem vetet institui? Versa rem cogitatione & mente, quanto maximo labore potes, nihil tamen excogitaveris. Certe vocabulo *studii generalis* nullo pacto ea potest hoc loco vis tribui, ut unicam in tota Polonia Leopoliensem Academiam esse debere, significet. *Generale* quippe hoc *studium* aliud nihil hoc loco sonat, quam artium facultatumque liberalium univer-

 sitatem

[a] *Aquis sextiis, Juliaci Andegavorum, Vesuntii Sequanorum, Biturgii, Burdigalæ, Duaci, Monte Pessulano, Arausii, Perpiniani, Pontioniponte, Argentorati, Tolosæ, Valentiæ Segalaunorum alibi &c.*

sitatem, seu plenum absolutumque numerum earum rerum, quae in Academiis videlicet possunt, debentque, disci. Sonat item universitatem discentium, quam homines conflent omnis conditionis, aetatis, fortunae, omnis, inquam, quaecunque apta discendo sit; quaeve locum in Scholis habeat. ex eaque universitate discentium, in qua se quisque velit exercere arte, ejus ibi Magistrum ac Doctorem inveniat. Aliter qui verbum hoc explicet, & *generale*, idem contendat esse, quod *solum* & *unicum*; is nullum prorsus, quo se auctore tueatur, Calepinum repererit. Certe, nemo negaverit Parisinam in Galliis, Patavinam & Bononiensem apud Jtalos Academiam, *Generale studium* (si per leges Latinitatis liceret) meritissimo appellari posse, imo vero debere quoque: nec tamen illa in Gallia, nec ista in Jtalia, sunt *solum* & *Unicum*. Si tamen inclyta Cracoviensis Academia hoc *generale studium* idem omnino contendat esse, atque *solum* & *unicum*, cur non istud quoque contendit ut omnes tota Polonia claudantur Scholae? cur olim, dum aperirentur illae, hoc suum jus persecuta non est? cur non, ne uspiam aperirentur, prohibuit? cur ipsa adeo universa Resp: certissima suarum interpres legum, istas easdem scholas & approbavit olim, & hodieque approbat, & ita approbat, ut hoc se *salvis Academiae Cracoviensis juribus edicat facere?* Nempe Resp: *generale studium* nunquam ita interpretata est adhuc; ut eo nomine *solum* & *unicum* aut ipsamet inteligeret, aut intelligi à quoquam vellet. Quapropter nos quoque, quemadmodum post institutas hactenus quum scholas plurimas frequentissimasque, tum adeo Academias etiam Vilnae atque Zamosciae, non modo non abrogabamus Cracoviensi Academiae, verum praeterea ultro atque libentes, tribuebamus hoc honorificum Studii Generalis nomen; sic & conditâ apud Leopolienses Academiâ nunquam eidem illi officiemus lumini.

Sed ad extremum in illo Regio Jagellonis Edicto haec leguntur. *Sitque ibi scientiarum praevalentium margarita, ut viros producat, consilii maturitate conspicuos, virtutum ornatibus redimitos, fiatque illic fons doctrinarum irriguus, de cuius plenitudine hauriant universi, literarum cupientes imbui ornamentis.*

Hoc vero loco quidnam sit, quod Leopoliensi Academiae obstet? Equidem Nobilissimae Cracoviensi Academiae, si istud quidem exigat à nobis illa, sancte polliceri possimus, Eam, conditâ Leopoli Academiâ, aeque futuram, nostra quoque confessione, nostroque praeconio, & *scientiarum Margaritam*, & *doctrinarum fontem*; quemadmodum institutis olim Vilnae Zamosciaeque duabus Academiis, reapse fuit, neque, quin fuerit, negabamus.

Pro comperto proinde quisque habere debet, in illo Regio Casimiri Magni, & Jagellonis Edicto nihil reperiri omnino, quo suprema illa duorum Regum auctoritas aperiendis in posterum Scholis novis, novisque Academiis, interdixisse videri possit.

Aca-

Zamoſcenſis Academiae Jus expenditur.

Academia haec iſtis Regum Regnique ordinum ſe legibus tuetur ano 1589. & 1590.

1589. *OB merita Jlluſtris Magnifici JOANNIS ZAMOYSKI Cancellarii & Ducis Regni ſupremi de Conſilio Procerum, Ordinum, conſenſu Nuntiorum Terreſtrium tam Regni, quam M. D. L. aliarumque terrarum annexarum concedimus eidem auctoritate conventus praeſentis lege perpetua nunquam in poſterum abroganda, ut ei liceat condere ordinationem in futurum circa bona ſua immobilia & mobilia &c.*

1590. *Quemadmodum anteactis Comitiis conceſſimus Jlluſtri & Magnifico Joanni Zamoyſki Cancellario & Duci Regni ſupremo ordinationem circa bona ſua haereditaria & ſucceſſionem in ea pro arbitrio ſuo conficiendi, ita ſiquidem iam Lublini coram Judicio Tribunalitio Anno praeterito per Eum eſt facta, eadem auctoritate Conventus praeſentis integre & plene in omnibus eius conditionibus & contentis approbamus in perpetuum. Poteſtatem nihilominus illi ſoli, quoadusque vixerit, reſervamus immutandi &c.*

At ſuis de illa Ordinatione tabulis ita ſuos obligat Succeſſores Joannes Zamoyſcius: *ut ante omnia templorum fundatorum à ſe & fundandorū, Scholarum item & Beneficiorum tam Eccleſiaſticorum, quam ſaecularium inſtituta non immutarentur, tuerentur & defenderentur* Item: *Cum recta liberorum inſtitutio omni auro pretioſior ſit; hujus perennem fontem vobis aperio Academiam, unde eam filii veſtri affatim haurire poterunt. Academias, quas cum alibi, tum in Imperio meo florere cupio, quam maxime Zamoſcenſem meam Academiam, hoc habere volo peculiare, ut quanta ſit, tota confirmetur, ut Nobilitatis Poloniae inſtitutioni ſit acomodátiſſima.*

Edictum hoc Viro, Jlluſtriſſimo pulcherrimaque iuxta ac veriſſima appellatione, MAGNO ZAMOYSCIO (qui illa tempeſtate Cancellarius, & Copiarum Regni Dux fuit) Ordinationis in bonis ſuis mobilibus immobilibusve inſtituendae poteſtatem facit. De Zamoſcenſi Academia omnino ſilet.

Neque id quidquam ad Academiam attinet: Et ſi vero in ſuis de Ordinatione tabulis Academiam eandem Jlluſtriſſimus Cancellarius atque Dux nominet, tamen lex Regni rem totam in medio videtur relinquere, dum Viro illi nunquam ſat celebrando poteſtatem facit, decernendi de ſuis bonis ac poſſeſſionibus, quod ei eſſet libitum.

Laudabile, ſanctum, divinum Jlluſtriſſimi viri propoſitum! cui nunquam videlicet in mentem venerit optare, nedum decernere, ne ullae aliae, in iſtis oris conderentur Academiae; imo qui, ſi recte expendimus, optare etiam videatur; ut Regnum hoc quam plurimis illuſtretur Academiis. Nam quid ſibi haec volunt: *Academias, quas quum alibi, tum in Imperio meo, florere cupio.* Nemo eſt, quin facile hinc aſſequatur, quae mens, quod conſilium, quod votum fuerit Magni Jllius Viri. Ex his quippe illius verbis, alterutrum colligi neceſſe eſt, fatendumque, iſto *Imperii ſui* nomine vel Polonam Remp: (in qua vivebat ſcilicet, cui parebat, cuiuſve imperii communi civium bonorum iure fuit particeps) ab eo intelligi, idque optari, ut in eadem Rep: quam plurimae Academiae florerent; vel certe illud *ſuum Imperium,* ita

ita ab eo capi, ut isto vocabulo suas intelligat possessiones, sua praesertim oppida, suasque Urbes. Ex quibus conficitur tantum abfuisse, ut Illustrissimus iste Zamoscensis Academiae Auctor suam hanc, aliis condendis impedimento esse voluerit, ut plures etiam in Polonia institui, atque florere Academias, vehementer se discupere, luculenter indicaverit.

§. III.

Leopoliensem Academiam nullis Regni legibus derogare.

Inclytae Acadomiae Cracoviensis & Zamoscensis, compluribus Regni legibus rem tueri conantur suam. Eas leges, ad verbum è sermone Polonico in Latinum traductas, ita hoc loco dabimus; ut, quo fideliores, atque apertiores, in proferendis iisdem simus; latinitatis curam tantisper nobis seponendam putemus. Imo quae Legislatores olim in ipso Patrii sermonis tractu latina usurparunt verba, illa, ut discerni à nostris possint verbis, diversis typis describentur.

Constitutio 1613 vol: 3. fol: 170.
Tit: Academia.

1. *Academiae Cracoviensi quamvis sit bene cautum legibus, secundum fundationem sacrae mem: Regum Poloniae, tamen illi hac etiam Constitutione ita cavemus; ut omnia privilegia concessa huic Academiae, praerogativas & ornamenta, in suo robore ac integritate antiqua, relinquamus: illa* in toto *approbando*, & in usu antiquo *conservando.*

1. Ex hoc edicto quid colligitur? lexne quaepiam, quae alias condi Academias vetet? Audio. Ubi est? Ego medius fidius nullam video. Si quis tamen oculatior videt, illum etiam atque etiam rogo, dicat, cur huic eidem legi, cur memoratis ab illa *Regum fundationibus, privilegiis, praerogativis*, Cracoviensi Academiae concessis, nihil hactenus Zamoscensis, nihil Vilnensis derogavit Academia; Leopoliensis autem tam multum derogat? quare post illas conditas, & à Rep: universa probatas, memoratae res illae *manent in suo robore*, & ita manent, ut neque Resp: nec ipsa adeo Cracoviensis Academia labefactas putet, nedum acerbe conqueratur: post istam vero recens institutam Leopoli, *ruit alto a culmine Troia?*

2. Con-

2. Constitutio 1633. Vol. 3. fol. 798.

Siquidem Jus Patronatus *Academiae Cracoviensis penes totam* mere *Remp: est, & quaedam Decreta* Rotae Romanae inter Almam Academiam Cracoviensem & Patres Societatis, *de fundatione Scholarum emanarunt; nos itaque quemadmodum nos* in Pactis Conventis *obligavimus*, procurando *pacificationem huius Academiae apud San ctissimum Dominum intercedemus, ut* causa in integrum restituta, *ad decisionem nostram & Reip: hanc rem rimittere dignetur. Ubi*, ius Patronatus Reip. iura Academiae, *illaesa servare promittimus, quae illis ita, sicut à Serenissimo Jagellone Rege, & aliis Antecessoribus nostris concessa sunt, & inter alias huius Reip: leges*, in volumen legum, *inserta* tam in toto quam in parte *approbamus.*

3. Constitutio Anni 1635. vol: 3. fol: 859. sic habet.

Confirmando jura omnia Academiae Cracoviensis iuxta Constitutiones felicis Coronationis nostrae, & declarationes SSmi Domini, Scholas in genere *omnes à Patribus Societatis JESU, cum impedimento eiusdem Academiae apertas occludimus. & ut istae neque aperiantur, neque ullae aliae*, quocunque praetextu *erigantur, in perpetuum*, absque consensu omnium Ordinum, *in Urbe nostra Metropolitana Cracoviae, urbibusque ei adjacentibus, Casimiriae, Stradomiae, Clepardiae, cavemus. Alia vero Societatis Collegia omnia tam in Regno, quam in Magno Ducatu Lithvaniae, & in Provinciis annexis fundata, ac in posterum* cum consensu *Reip: fundanda, respiciendo fructus in Ecclesiam DEI ex eorum redundantes labore, praesentemque obsequendi nobis, ac Reip: alacritatem non solum approbamus, verum sub Protectionem nostram successorum nostrorum & universae Reip: nihil derogando juribus Academiae Cracoviensis recipimus.*

2. Haec ad Leopoliensis alteriusve Academiae posterius institutae causam nihil attinent. Res tota est de Cracoviensibus Societatis JESU Scholis, quae illa tempestate ad Sancti Petri coeperant frequentari, quasve Societas, suapte sponte, pacis nempe concordiaeque studio deserendas putavit. Jd quod lex Regni Anno 1635. perlata innuit his verbis. *Alia Collegia Societatis JESU, respiciendo fructus in Ecclesiam DEI ex eorum redundantes labore, praesentemque obsequendi nobis ac Reip. alacritatem non solum approbamus &c.*

3. Urbs Russiae primaria Leopolis longe diversa est a Cracovia, eiusque partibus, Casimiria, Stradomia, Clepardia. Cum igitur allata lex apertas quondam Cracoviae ad S. Petri Scholas Societatis occludat, aperirique in posterum Cracoviae, Casimiriae, Stradomiae, Clepardiae, nisi Ordines Regni approbent, vetet, Leopoli certe ut Scholae, utve Academia, sive nunquam aperiantur, sive, ubi apertae fuerint, claudantur, non modo non praecipit, sed istud quidem nec somniat. Jmo vero Leopolienses Scholas, quae illa tempestate, uti, cum maxime, iam florebant, una cum Collegiis, quibuscum Scholae semper cohaerent scilicet, & approbat, & in Reip: Clientelam fidemque recipit.

4. Conſtitutio Anni 1658. vol: 4. fol: 552. ſic habet.

Sciendo probe, quanti interſit Reip: cuiuslibet, vigil hominum adoleſcentium educatio, ex qua felicitas eius magna emanat, & volendo Profeſſores Academiae Cracovienſis, ad convenientem filiis Regni tanto magis allicere informationem, quamvis iſta ſat ſolidis per piiſſimos Anteceſſores Noſtros eſt donata praerogativis; illam tamen poſt praeſentem ab hoſte calamitatem in Templis, Reſidentiis, Burſis Studioſorum, cenſibus, fiduciis, valde extenuatam, ab omni contributione civili, è concordi Ordinum Regni conſenſu omnino liberam facimus.

5. Conſtitutio 1669. Vol: 5. fol. 28. ita praecipit.

Quoniam ob tempeſtatem rerum ſub illud tempus Reip: - - - *eo perveniri non potuit, ideo in hac electione,* de modo diſtributivae iuſtitiae, *de ordine ſub tempus interregni,* de correctura Jurium, compoſitione inter Status, *& Academiae Cracovienſis* iuſtis poſtulatis, *caverunt id ſibi apud nos ordines Regni. & M. D. L. ut quidquid ſub Anteceſſoribus Noſtris Regibus Poloniae exorbitabat contra legem publicam, totum ſuae orbitae reſtitueremus, & executioni mandaremus, ita, ut quaſi nulla in re legi publicae derogaretur, non permittendo leges aliter interpretari, niſi ut quaeque per ſe ſonant, neque exempla contraria reſpiciendo.*

6. Conſtitutio 1676 Vol: 5. fol: 376. *Inqua Cracovienſis Academia, ad Mentem Statuti ſub titulo* Schola Regni, *immunis ab omnibus oneribus declaratur, ac penes iura Privilegia immunitates, conſtitutionibus Regni firmatas perpetuis temporibus conſervatur. Videatur Zeglicki tit: Academiae.*

7. Conſtitutio 1677. Vol: 5. fol 488. Ita definit. *Salvis iuribus Societatis JESU à Rep. datis & Academiarum Cracovienſis & Zamoſcenſis.*

8. Conſtitutio Anni 1685. Vol: 5. tit: *Clerici in communi viven:* idem ipſum quod ſuperior iiſdemque cavet verbis.

4. Hac lege Cracovienſem Academiam à publicis pendendis vectigalibus liberam fieri, videmus: Leopolienſem vetari non videmus.

5. Quid illud fuerit, quod ante Regis Michaelis tempora, Academiae Cracovienſis damno, ſuam non tenuerit orbitam, atque à trita & publica legum via deflexerit; nullo Reip: memoratur edicto. Jnclyta Cracovienſis Academia id de literis Joannis Caſimi Regis Leopolienſem Academiam probantibus vellet intelligi; coeterum ſi leges Regni atque Reip: Edicta, *ut per ſe ſonant*, attente expendimus; ab eorum praeſcripto illas Joannis Caſimiri literas, ne latum quidem ungvem deflectere liquido perſpicimus. Haec igitur non explicatio ſed divinatio eſt.

6. Queadmodum ad noſtra uſque haec tempora Cracovienſi Academiae ſua omnia ornamenta conſtabant & iura; ita, quin conſtent perpetuo, Leopolienſis quidem Academia nihil prorſus officiet.

7. Hic Societati JESU egregie favet Reſp: non Leopolienſi Academiae adverſatur.

8. Reſpondetur ut ſupra numero 6.

9. Con-

9. Constitutione Anni ejusdem Vol. 5. fol: 735. omnia Cracoviensis Academiae confirmantur jura eidemque bonorum Sexagenis millibus emendorum potestas fit.

10. Constit: 1710. Vol: 6. fol: 192. qua Cracoviensis Academia, *circa immunitates* legibus descriptas, *tempore confirmatae Confoederationis Sandomiriensis conservatur.*

11. Constitutio Anni 1733. *qua Cracoviensi & Vilnensi Academiae, sub interregnum promissa est jurium suorum conservatio.*

12. Constitutio Anni 1736. Vol: 6. fol: 630. *qua Cracoviensem Academiam, tanquam* meritissimam Reip: omnium scientiarum Magistram, circa antiqua jura & Privilegia nunquam mutanda, *una cum juribus & Privilegiis Academiae Zamoscensis, aeque ac Anno 1693 sub Augusto II. manu tenendam esse promissum est. Ac postremo omia jura, immunitates, libertates, Privilegia &c. Academiae Cracoviensis & Zamoscensis integre servare promittimus.*

Item fol: 636. in Pactis conventis haec leguntur. *Et ad extremum omnia jura & immunitates, Privilegia & libertates omnium Personarum Statuta Regni & M. D. L.* & Annexarum Provinciarum *omnibus Ordinibus Sacris* Romani Ritus & Graeci Unitorum, *nec non saecularibus*, incorporatis atque annexis Provinciis Academiarum Cracoviensis, Zamoscensis & Vilnensis, *sicuti & Urbibus omnibus proprias* juste legitimeque *concessas & Articulos omnes in coronationibus Regum Henrici, Stephani, Sigismundi III. Vladislai IV. Joannis Casimiri, Michae-*

9. Ei utramque rem Leopoliensis Academia gratulatur.

10. Eius legis haec verba sunt: *Academiae Cracoviensis bona, calamitosis his temporibus propemodum pessumdata, ut pristinae possint integritati restitui*, circa descriptas legibus immunitates inviolabiliter *illa conservamus &c.* Verissime, sed quid haec ad rem praesentem?

11. Jd nihil officit Academiae Leopoliensi

12. Huius legis verba haec sunt; *Academiam Cracoviensem*, tanquam meritissimam *Reip:* omnium scientiarum Magistram, circa institutionem *Studiosorum* infatigabilem & circa productionem *magnarum & gravium personarum*, solicitam circa antiqua jura & Privilegia nunquam violanda conservamus. *Imo.* in Augmentū *ulteriorum nostrorum respectuum in hunc locum occasionem non omittemus.*

Item Academiam Vilnensem cum omnibus juribus Nostris concessis, ac noviter, *à S. M. Rege Augusto II. Privilegio munitam*, cum exercitio omnium scientiarum, *una & fundationem Collegii Plocensis, & circa omnia jura juxta constitutionem 1717. eidem Collegio servientem conservare promittimus.*

In omnibus his legibus quid quaeso est, cui Leopoliensis Academiae institutio repugnet? ex iis quae inter Rempublicam atque inter illius Reges, Henricum. Stephanum, Sigismundum III. Vladislaum IV. Joannem Casimirum, Michaelem, Joannem III Augustum II. dum olim coronarentur illi, Pacta atque conventa sunt, ecquod caput, imo ecquis est apex legis, qui Poloniae Regibus instituendae probandaeque apud Leopolienses Academiae adimat potestatem?

iis

lis, Joannis III. & Augusti II. Serenissimi *parentis & Antecessoris Nostri constitutos &c manutenere & integre servare* spondemus.

§ IV.

De Regiis, quibus inclyta Zamoscensis Academia gloriatur edictis

Edictum Sigismundi III. his est conceptum verbis

Visa nobis res est summa laude digna & caritas in Rempublicam singularis, cujus maximum fundamentum est; recte & ordine Juventus erudita, ad utrumque Reipublicæ tempus, pacis, & belli cum salute & dignitate administrandum, Siquidem ex eruditione & disciplina, eo modo, quo hic descriptam perspeximus instituta, efflorescit pia, & vera Sapientia, totius felicitatis Rerumpublicarum foecundissima Parens, & ejusdem incorruptissima Custos. Assensimus itaque justæ supplicationi & Authoritate nostra Regia præsentibus nostris Literis, Fundationem Academiæ Zamoscensis confirmamus, Jura, immunitates, & Privilegia Academiarum tribuimus. Id quod omnibus & singulis, præsertim Magistratibus, Judicibusque Regni Nostri omnium Ordinum denuntiamus, tum pro Regia nostra Authoritate mandamus, ut quæ fundatio ista Academiæ Zamoscensis sigillatim in se complectitur, omnia & singula integre, & sine ulla derogatione ita teneantur, quemadmodum sunt verbis sententiisque descripta &c.

SIGISMUNDUS REX 1601 VLADISLAUS 1634.

Quid vero istis Regiis continetur literis, cui aliae iam Regiae AUGUSTI III. literae Leopoliensem probantes Academiam, vel tantillum adversari credantur? id quidem nemo reperit. Immo vero cum SIGISMUNDUS & VLADISLAUS Reges totum illud, universeque probant, quod magnus Zamoyscius de instituendis Academiis praeclare sensit; eo ipso probant, ratumque habent illud sapientissimi Viri votum, quo exoptabat ille, ut quam plurimae in suo Regno Academiae floreant, id quod iam vidimus paulo supra.

Literae Joannis Casimiri sunt ejus modi.

Nos itaque JOANNES CASIMIRUS Rex, cum nisi huic Celebri Oraculo sapientiæ, & pro votis ac desideriis quantum ad integritatem ejus justis paterne

Primum idipsum rursus, quod paulo ante, quaerimus: quid haec nobis officiunt? Quid ad Leopoliensem Academiam attinent? Deinde

fave-

faveamus, sane Regum & Principum inde Majestatis potentiam stabiliri, Regnorum inde promanare felicitatem, inde perennare tranquillitatem, Resque Nostras inconcusse stare excluderemus. Supplicationem igitur præfatam benigno complexi sinu, hanc præinsertam Academiæ Zamoscensis Fundationem, & in ea omnia instituta, Jura, & Libertates Immunitates, Donationes, conditiones, Nexus, ligamenta, in toto & quavis parte approbavimus, confirmavimus & ratificavimus, eamque Academiam Zamoscensem in Patrocinium Nostrum Regium, atque totius Reipublicæ, ad normam Academiae Cracoviensis, cum Omnibus ejus Privilegiis, Immunitatibus, Gratiisq; tam a Sancta Sede Apostolica, quam a Serenissimis Prædecessoribus Nostris Universitati ac singulis ejus Personis in ea largitis suscepimus, assumpsimus, & adoptavimus, prout quidem approbamus, confirmamus, & ratificamus, assumimus, & adoptamus, omnesq; defectus ex plenitudine potestatis Nostræ supplemus, præsenti Privilegio Nostro decernentes &c. Datum Varsaviæ, Die 22. Maii, Anno 1666.

Literae Michaelis Regis hoc sunt exemplo.

Nos itaq. MICHAEL Rex Regiis Serenissimorum Prædecessorum Nostrorum insistentes vestigiis, Eorumq; secuti exempla &c. eam ipsam Academiam Zamoscensem, omnesq; ejusq; alumnos ac professores, tam actu laborantes, quam exprofessores de illa bene meritos, in Patrocinium & protectionem Nostram Regiam, totiusq; Reipublicæ adnormam Academiæ Cracoviensis Erectione, tanquam Filiam, ejus Virtutibus ac meritis æmulam, cum omnibus ejus Privilegiis, Immunitatibus Gratiisq; tam a Sancta Sede Apostolica, quam a Serenissimis Prædecessoribus Nostris, Universitati & singulis personis in ea largitis suscipimus, & adoptamus, hancq; solam & unam Academiam tanquam Studii Generalis Universitatem in Ditionibus Nostris Ducatus Russiæ esse volumus, ac Regio Nostro Mandato statui-

vero hoccine ut quisquam credat, Joannem scilicet Casimirum Regem his Anno 1666. datis literis abrogare ac revocare illud, quod prioribus Anno 1661 datis de excitanda Leopoli Academia ultro ac lubens decreverat? Quinimo hinc, nisi fallor, liquet, sapientissimum illum Principem his duobus edictis, Leopoliensi aeque ac Zamoscensi Academiae favisse, quod perspectum haberet scilicet neutram alteri quidquam officere. Quare quam lubens illam probaverat instituendam; tam lubens istam probat ornatque institutam.

Alter ex illis Nobilissimis jurisque Patrii peritissimis Equitibus, quorum est illa lucubratio Polonica *Dyskurs dwoch Ziemianow &c* id est *dissertatio duorum Nobilium Virorum &c.* has Michaelis literas non legitime impetratas, sed (quae fori nostri est formula) *subreptitie ac illegitime obtentas*, his argumentis probat. Primum inquit, falsam illae narrationem continent, dum asseverant, Cracoviensem Academiam gaudere jure tollendi occludendique scholas alienas omnes, si quae intra duodecimum ab Urbe Cracoviensi lapidem seu potius, intra duodecim milliaria Polonica sint apertae a quopiam. Illud enim Academiae Cracoviensis jus nuspiam adhuc in juris Polonici codice reperiri a quoquam, atque

mus. Scholas vero omnes quocunq; nomine erectas, aut erigendas, impedientes illius Generalis Studii, (exceptis scholis Parochialibus Rudimentorum) in circuitu duodecim milliarium ab Academia Zamoscensi, ad instar Academiæ Cracoviensis, omnino, ac serio prohibemus &c. Datum Cracoviæ, Die 26, Mensis 9bris. Annô 1669.

proferri potuit. Deinde (subdit idem) istae eaedem literae non sunt legitimae eo nomine, quia scilicet palam repugnant publicae Regni legi. Lex quippe Anno 1659. lata est de duabus in Russia condendis Academiis, quarum scilicet altera Kiioviae altera alio quopiam, quo esset commodum, exciraretur loco. De eo agitatum in Hadiacensi cum Russis Polonorum conventu, publica tum legitimaque auctoritate coacto. Etsi autem ex eodem conventu illo infectis rebus sit utrinque discessum; Regni tamen legem, quam diximus (de duabus videlicet constituendis in Russia Academiis) non idcirco obsolevisse, imo nec posse etiam obsolescere, nisi nova, a Rege & Regni Ordinibus condita derogetur eidem lege, erudite contendit Idem. Porro idem vir Nobilis, pro sua juris Poloni scientia, legem quoque profert, Anno 1633 latam [*Vol: 3. pag:* 172, *Tit: Przywilere*) qua Reges Poloniae his ipsis verbis fidem Regni istius Civibus obligarunt suā. *Et si secundum leges, aequitatemque ipsam, Privilegia contra Privilegia e Cancellaria nostra prodire non debent tamen si hac inre cuipiam aliquod praejudicium fieret, decernimus quod talia Privilegia, posterius in praejudicium priorum data, nihil valere debent.* Quare id Michaelis *Privilegium* Anno 1669. datum tanquam datum *cum præjudicio Privilegii* a Joanne Casimiro Rege ad instituendam Leopoli Academiam concessi Anno 1661 [si quid lex ista valet, uti valere certe nemo dubitat) irritum cassumque est.

Adiici hoc loco potest, ipsos quoque Zamoscenses Academicos [Viros nempe juris Patrii consultissimos] in hac ipsa, quam hic tuemur, de illo Regis Michaelis edicto fuisse iam olim sententia, dum quas Varenzii quas Chelmae, Reverendi PP. Scholarum Piarum, quas Crasnostaviae Patres Societatis JESU, annis abhinc compluribus in Zamosciae vicinia aperirent Scholas; illae ne tum aperirentur quamvis Academiae Zamoscensis interesset maxime, ab iisdem tamen Jll: Dominis Academicis proferendô illo edictô obviam itum non est, quod ei scilicet edicto nihil omnino fideretur.

Quin imo ipsa adeo Respublica, ex quo lege 1677. Chelmenses RR. PP. Piarum Scholarum probavit confirmavitque Scholas, adjecit; se istud

facere

facere *salvis juribus Societatis JESU. & Academiarum, Cracoviensis, ac Zamoscensis.* Quo suo facto videri merito possit, illud idem Edictum vel antiquasse, vel, tanquam minime legitimum, nullo duxisse loco. Etsi enim Rex Michael legatur ibi vetare, ne circum circa Zamosciam, intra duodena milliaria, ullae aliae aperiantur scholae; nihilominus posterior Ordinum Regni Lex Pias Chelmenses scholas illo ipso comprehensas spatio, probavit publice.

Illud præterea hoc loco animadverti potest, istud Michaelis Edictum eo etiam nomine haud quaquam legitimum censeri posse, quod scholisLublinensibus, multo ante, Bernardi Cardinalis Macieiovii, qui anno 1608 vita est functus, insigni munificentia, una cum Collegio Societatis JESU excitatis, ac a tota Reipublica anno 163 non modo approbatis verum in fidem quoque benigne receptis, contra jus fasque officiat, sive (ut Fori utamur formula] *aperte praejudicet.* Si enim eo Michaelis esset standum Edicto, scholae Lublinenses; si non Zamoscensibus antiquiores, certe saltim earum aequales [aetatem intelligimus] cum decimo duntaxat milliari distent Zamoscia, occludendae forent. Id quod num prudenti cuipiam in mentem adhuc venerit , nescimus. Jllud certe affirmare possumus. eum, qui occludendas contenderet, gravem sibi apud prudentes omnes offensionem concitaturum.

Ad extremum Vir ille Nobilis de quo supra mentionem fecimus, hunc suo illi sermoni finem facit *Zamoscensis* inquit *Academia, abhinc biennium, egit Romae, ut istud* Michaelis Regis *ibi probaretur Edictum. Româ res tota in Poloniam ad Nuntium Apostolicum remissa fuit. Nuntius. ubi haud quaquam legitimum deprehendisset esse, Romam, quid cognovisset perscripsit, ac ibi Edictum illud rejectum omnino est.*Et infra Vir idem svadet, ut si quis plene de hoc eodem facto edoceri velit, sententiam de eo R. P. Stanislai Konarski Schol: Piarum Viri gravissimi, scripto consignatam nuper, ne gravetur, evolvere.

AUGUSTI II. DIPLOMA quod iidem Doctissimi Academici proferunt, est ejusmodi.

Universis & singulis quorum interest: notum facimus. Quod cum almæ Academiæ Cracovien: unicæ, Generali, ac universali Regni Nostri Scholæ, à Divo VLADISLAO JAGELLONE Prædecessore Nostro fundatæ, ac postea amplissimis prærogativis, Privilegiis, Libertatibus, indultis tam a Sede Apostolica, quam a Serenissimis Antecessoribus Nostris, totaq; Republica, auctæ, non solum pro jurata Nostra in conservationem ejusdem obligatione, verum etiam ex singulari respectu quo celeberrimos in eadem Universitate Viros usui publico in in eruditione Juventutis Regni hujus, sese impendentes prosequimur, particulares quo-

In hoc Diplomate hoc primo observari potest, approbari illo confirmarique id, velut iam olim Academiae Cracoviensi collatum, quod nunquam plane collatum reapse fuit. *Almae* inquit *Academiae Cracoviensi, unicae, Generali, ac Universali, Regni nostri Scholae, a DIVO VLADISLAO JAGELLONE Praedecessore nostro FUNDATAE*-- quae appellatio *Scholae Regni* idque, *unicae, generalis universalis* ita a Casimiri Magni & Vladislai Jagiellonis mente videtur abfuisse; sicuti ab eorum Literis superius iam descriptis, omnino abest. Et sane non sine causa abest. Nam

quovis in tempore Regiosq; Nostros remonstrare favores, Nobis in votis est, ideo, cum accepimus Religiosos Societatis JESU contra vetera instituta sua, ac prima principia, Facultatem & Licentiam Anatomicam in Civitate Leopoliensi erigere, Juribusq; Academiae Cracoviensis, CUI SOLI Facultates Theologicas, Juridicas, Physicas, & Anatomicas, apertas tenere, iisdem quosvis venientes instruere, instructos ad gradus Licentiaturae & Doctoratus promovere competit, praejudicare, fundosq; & areas ad praemissorum effectum coemere, & acquirere velle. Nos insistendo zelo Divorum Praedecessorum Nostrorum, ac signanter Serenissimi olim JOANNIS III. qui exercitium facultatis Anatomicae, cuidam Honorato Thomae Budny (per memoratos Religiosos Soc: Jesu in Comitiis Regni 1688. Facultatem eandem authoritate publica erigi supplicantes] conducto vetuit, & prohibuit, petitioniq; ejusmodi sese opposuit, amovendoq; in posterum contentionum & rixarum occasiones, faciendum esse duximus, ut tam in dicta Civitate Nostra Leopoliensi, quam & in aliis locis Erectionem Physicae, & Anatomiae per dictos Religiosos & quemlibet alium instaurandam prohiberemus, & interdiceremus, veluti hoc Nostro Diplomate interdicimus & prohibemus perpetuo, & in aevum, controvesiasq; in parte per Antecessores Nostros & Rempublicam assopitas nullatenus innovare volumus, quinimo interdicimus. Insuper inhaerendo &c.

hoccine Polona Nobilitas, hoccine Regni Proceres, non dico probarent libentes, sed vel paterentur saltem, ferrentve; ut sibi dura imponeretur necessitas, Cracoviam usque vel ab extremis Regni finibus suos mittendi filios, si quos literis excultos vellent?

Praeterea Leopoliense, Lublinense, Posnaniense, aliaque Collegia, memorato anni 1635. Edicto, in fidem ac tutelam a Regni Ordinibus recepta, iam pridem Physicas, Mathematicas, Theologicas, publice habebant scholas. Quinam igitur *Physica Theologicave* facultas, soli Academiae Cracoviensi istis Regiis potuit vindicari Literis?

Quod si praedictas facultates conjuncte copulateque quis capiat, cum ea medicae facultatis parte, quae in secandis corporis humani partibus versatur, indeque *Anatomica* vulgo dicitur; ita quidem, si quis a me velit assentiar, soli Academiae Cracoviensi convenire. Nec quispiam addubitet Leopoliense Collegium Regio illi Edicto, cujus universa vis in hac *Anatomica* professione prohibenda versatur, qua par erat reverentia morem gessisse.

AUGUSTUS III. feliciter imperantis Edictum est ejusmodi.

Cum itaq; Universitas Zamoscensis ad hunc usum optima intentione pii in Patriam Fundatoris erecta, Nostraeq; ac Reipublice Protectioni reddita sit, multum interest perspicere, ne forte vel vetustate sua & injuria temporum, quibus optimae quaecunq; res in deterius mutantur, vel alia aliqua de causa, quidquam tale admiserint, quod Juribus & Privilegiis eisdem Universitati a Serenissimis Praedeces-

Rex Potentissimus juxta atque aequissimus vult, jubetque, ut quae iam olim Regni legibus, Regumque literis, Zamoscensi Academiae legitime concessa sunt; ea fixa, firma, & rata maneant in perpetuum. Manere autem, atque post conditam quoque Leopoli Academiam, mansura esse, iam supra ostendimus. Illud praetereundum non videtur, *Constitutionem*

decessoribus Nostris Regibus Poloniæ, benigne concessis, repugnaret, Studia debilitaret, aut penitus extingveret, ac Reipublicæ ingens damnum & praejudicium afferret; proinde Nos exemplis Serenissimorum Prædecessorum Nostrorum Regum Poloniæ innixi, ad mentem Privilegiorum, Statutorum, & constitutionum Regni Nostri, 1562. 1535. & 1668. infrascriptorum ratione sancitorum, quæ ad hanc quoque Univerfitatem Zamoscensem ex Privilegiis Serenissimorum Antecessorum Nostrorum extenduntur, ordinandum, & consentiendum esse duximus ut, &c.

1668. istis Regiis memoratam literis, in voluminibus, *Constitutionum Regni* non extare. Typi erratum crediderim. At vero *Constitutio* 1562. Vol. 2 pag. 626. Tit: *de Scholis* his constat verbis. *Id de Schola Cracoviensi, Posnaniensi & Pultoviensi quarum reformationem Legati rogant quamvis ad Ill. Episcoporum munus attineat, quibus nempe qvum leges publicae, tum Majores Nostri, Scholarum ejusmodi Fundatores Conditoresque id commiserint; tamen Nos hac de re Reverend: Episcopos & Rectores admonebimus: proque nostra auctoritate instabimus, ut bonus in Scholis istis ordo servetur.* Quid haec ad praesentem rem adtinent?

§. V.

Edictum JOANNIS CASIMIRI Regis, Quo excitandae Leopoli Academiae, Anno 1661. potestas fit, nec dolo malo [*subreptitie*) impetratum esse, neque vim suam amisisse ostenditur.

EA Regum Edicta dolo malo obtenta esse dicimus, quae vel falsa nituntur narratione, vel conjungunt complectunturque pugnantia; vel Regni Legibus, Edictisve per ea probatis, adversantur. Haec enim sunt, quae si perspecta sint Principi, eum necessario a subscribendo arcent.

Jam Joannis Casimiri Edictum qua primum falsa narratione nititur? Quid usque adhuc deprehensum in eo est, quod a vero vel tantillum abludat? Auctor scripti *Propugnatio Jurium Universitatis Cracoviensis* [quae lucubratio Anno 1759. prodiit) nescio quid absurdum, atque inconveniens his in verbis inesse credit: *Cum vero* (inquit Joannes Casimirus Rex) *cum vero plurimum intersit, ut in Roxolanis quoque Provinciis, & Regionibus, solidae veritatis, virtutisque professioni, debitus adstruatur honor; faciles ac libentes, in animum induximus, ut Collegio Leopoliensi Societatis JESU Academiae dignitatis accessio, nobis annuentibus fiat, Titulusque Universitatis deferatur. Ista* (inquit hic scriptor) *erronee & indebite dicuntur.*

Quae ista? ubi? quam ob causam? quo laborant errore? nemo dixerit: cum & is ipse, qui dixit, tamen Regiae hujus sententiae partem alteram non potuit non laudare; in altera, quod reprehenderet non, potuit reperire. Fatetur quippe, re vera, *plurimum interesse, ut in Roxolanis quoque Provinciis, solidae veritati virtutisque professioni debitus adstruatur honor.* Quod vero eam ob causam *facile ac libens in animum induxit Rex, ut se annuente, Academiae dignitatis accessio Collegio Leopoliensi Societatis JESU fiat;* de hoc ipse

 quid-

quidquid dixerit: Regem tamen sapientissimum, Regiamque istam animi inductionem, quis errati nomine reprehendere, Majestate quidem ac æquitate illæsa possit?

At quod, inquit, *Leopeliensi tum primum concedebatur Collegio, id Zamoscensi concessum iam fuerat.* Fuerit. Quid tum? Eamne ipsam ob causam illi alteri concedi non potuit? Quid? Si contra Zamoscensem Academiam hoc uteretur argumento Cracoviensis? quid inquam conficeret?

At istae Regis Joannis Literae nullam Zamoscienfis Academiae mentionem faciunt. Nempe nihil opus fuit.

At Rex iste fuit tum Zamoscensis Academiae inscius, aut saltem non satis eam noverat, Jnscius? Non satis noverat? Quis? nempe Joannes Casimirus, in Polonia primum natus educatusque? deinde ille Rex qui XIII. iam annis in Polonia, regnabat, cum Edictum hoc faceret? Quis credat?

Quis credat praeterea Nicolaum Prazmowski, Luceoriensem tunc nec non Brestensem Pontificem, eum, inquam, Pontificem, cuius Dioecesis tam vicina Zamosciae fuerit, quique pro suo tum *Magni Cancellarii* munere, sigillo Regni literas illas munierit, vel nullam omnino impressam in animo habuisse notionem Zamoscensis Academiae, sexaginta iam abhinc annis conditæ, totoque Poloniæ Regno, imo adeo orbe terrarum toto, iam tum notissimæ, vel eam non satis novisse, vel tam obliviosum fuisse, ut ejus tum esset immemor?

Quod autem ad causas attinet, quae Joannem Casimirum Regem ad hoc Edictum condendum impulerint, eae, quamvis isto Diplomate explicatae non sint, fuisse tamen iustas & graves, suo ipsarum effectu proditur. Nos ut eas proferamus hoc loco, singillatimque expendamus, primum nihil est opus; deinde proposita scripti istius nostri vetat brevitas; ipsa demum, quam tuemur, causa satis superque tuta & munita fuerit; si has Joannis Casimiri Literas haudquaquam *dolo malo* esse obtentas constiterit. Jd quod constare certe arbitramur ex dictis. Coeterum non possumus, quin saltim paucis innuamus, iustam gravemque excitandae Leopoli Academiae hanc inter alias fuisse causam, quod prudenter timeretur tum scilicet, ne Scholae Catholicae, ita Leopoli aliquando conciderent, uti Kijoviae iam conciderant paulo ante. Cum enim Regni Lex anno 1659, alienis ab Ecclesia Romana Russis, potestatem faceret excitandi Academiam Kiioviae, una ista conditione adiecta, *ne quidquam ab Academicis committeretur, unde inter scholarum alumnos* (religione diffidentes videlicet Polonos & Russos) *exorerentur dissidia,* cumque eadem lege *Catholicae apud Kiiovienses Scholae tollerentur, alio transferendae;* cum ad extremum eadem ipsa lege, Rex atque Regni Ordines, alteram quoque iisdem Russis concederent Academiam, eo excitandam loco, qui quam maxime videretur idoneus, eamque Academiam, eodem atque Kiiovienfem, futuram iure decernerent: non potuere tum non timere Catholici, ne condendae huic alteri Academiae, locum Leopoli [Urbe videlicet celeberrima, pulcherrimaque] optarent Russi. Jd quod si evenisset, de Catholicis in ea Urbe Scholis, perinde atque iam nuper Kiioviae; actum esset. Metuendi autem, ne non modo id peterent, verum & impetrarent Russi, gravissimas tum Catholici habebant causas. Polona quippe Respublica, sub illud teterrimum ac periculosissimum, Cosaticum bellum, vix resistendo iam par, tantum non qualvis modo non plane viderentur intolerabiles, pacis conficiendae conditiones haud gravate acceptura esse videbatur. Ergo ne peterent formidandi tum illi non Reipublicae modo, verum Religionis quoque

hostes

hoftes; ne inquam, peterent; quod eis negari vix poffet, imo quod iam generali illa Legis Formula videbatur conceffum; praeveniendi erant, & praeveniendi, illâ, quae fola, & tutiffima & compendiaria erat via, Scholis nempe Leopolienfibus Academiae Catholicae dignitate ornandis prius, quam illi edixiffent fcilicet, Leopolim placere fibi, in qua alteram, à Romana alienam Religione, Academiam vellent condere.

Hadiacenfis Conventus, in quo fub annum 1659. de his ipfis, Academiarum caufa, Polonos inter & Ruffos, fuit condictum capitibus, non eft (ut prodidere quidam) Anno 1660. irrito diffolutus eventu, cum hoc eodem anno 1661. (quo Leopolienfem Academiam fuis Rex die 21. Januarii probavit literis) cum, inquam, hoc eodem anno in Actis Generalium Regni Comitiorum, Varfaviae tum agitatorum, reperiatur. (Vol: 4. Pag: 761.) haec infcriptio: *deklaracia Lafki Hetmanowi y woyfku Zaporwfkiemu* id eft *venia atque impunitas Duci copiifque Zaporovienfium promiffa.* Jtem ibidem pag: 764 infcribitur legis caput *Kommiffia Hadziacka* id eft *Conventus Hadiacenfis.* Caput vero illud fic incipit: *Iak iako fię w fobie zawiera Jch Mć PP. Hetmani przyfiegą maia potwierdzić.* Jd eft, *ficuti reapfe eft, DD. copiarum Duces jure jurando confirmare debent.* Sed haec obiter attigiffe fit fatis.

Jllud etiam in eodem Joannis Cafimiri Edicto non probatur quibufdam, qui noftrae huic adverfantur caufae, quod Rex *poteftatem facit Societatis noftrae hominibus, Leopoli habitantibus, tradendi difciplinas Theologicas, Philofophicas, Mathematicas, Juris, Medicinae &c: per fe, aut per alios, prout eis, aliarum Academiarum more, vifum fuerit.* Sed quid eft tandem, cur hoc ifti non probant? quid eos male habet? quid offendit? nos quidem ignoramus. Ulteriora quoque haec verba admirationem iifdem movent; *Memorati Patres minime prohibentur, quominus honorem, munus, aut praeminentiam ex Academicis aliquam, ad alios libere fponteque valeant deferre.* Sed revera eftne, quod hi mirentur, non prohiberi nos, quominus munus *Notarii, Secretarii* (ut huius Fori utamur vocabulis) *honores item Procancellarii, Cancellarii Univerfitatis,* alteri deferre cuipiam, eumque ipfum, ut ne gravetur acceptare, nobis rogare liceat? Quis hoc aut infolens, aut iniquum putet?

Adiiciunt, has literas clandeftino obtentas effe Sed quaerimus, Literaene, quibus Reges beneficii quidpiam in aliquem e fuis conferunt, non nifi praecone ac tubicine adhibito, ex eorum conclavibus efferri jure poffunt? Principesne, fi quid favoris impertiri volunt clientibus, deteriore erunt conditione, quam Judices, cum quibus multa tranfigi jure poffunt, paucis confciis? Nihilne intereffe debet inter jus fummum, & gratiam, ut neutrum obtinere aliter liceat, nifi fcientibus praefentibufque iis litigantium aemulorumque partibus, quae vel reapfe contendunt, vel faltem contenderent, fi quid agatur, evertere? effene in quemquam beneficus nequit Princeps, nifi confciis illis, qui *manibus pedibufque* (ut dicit ille) (a) *obnixe omnia facturi fint*, ut alieno bono, feu invidia, feu aemulatione per fas, per nefas officiant? Jftam, o Viri Jnclyti, fi nobis legem praefcribitis, non modo Principibus maximam libertatis auctoritatifve fuae partem injuria ereptum itis; non modo jufto favori, & gratiae locum vix ullum relinquitis; non modo alios innumerabiles Regum Principumve Clientes maximis tum fortunae, tum honoris bonis evertitis; verum praeterea ipfiffimet vobis, quam multa, quam praeclara, Polonorum Regum beneficia in cauti abiudicatis? Si enim vobis (quem Superi avertant cafum) par pari referimus; quot Regum eorundem, beneficia, clandeftino, infciifque nobis, per vos obtenta, & noftro quidem obtenta incommodo, demonftrare poffimus!

(a) *Terrent in Andria.*

Obiiciunt iidem, hoc Joannis Caſimiri Edictum eſſe *generans motus, & tranquillitatem convellens.* Fatemur experti: quippe qui hodieque & litis graviſſime concutiamur motibus, & hac tranquillitatis convulſae ruina obruamur. Liceat tamen quaerere: hi tanti motus Edictine Caſimiriani iniquitate, an eorum, qui ei Edicto adverſantur, aemulatione concitantur? Utra vobis quieta, utra contra turbulenta videtur factio? Eorumne, qui duorum Poloniae Regum, qui Romani Pontificis, Chriſti Vicarii, ſtant Edictis; an illorum, qui contra haec toto Regno conclamarunt ad arma? Quieſcite Viri Optimi, & omnibus nobis aeque ac vobis, optata quies actutum redierit. Ornate, uti adhuc feciſtis egregie, ornate Doctiſſimi Cracovienſes ac Zamoſcenſes Academici veſtram ſpartam; & à nobis ornari noſtram ſinite. Alienas acceſſiones vobîs integris factas, nolite, quod invidi ſolent, in veſtris damnis ducere. Mittite circumcurſare domos Nobilium, aulas Optimatum & Principum. Mittite horum aures obtundere ſpargenda de nobis querela, quod Regni legibus derogatum eamus. Non enim imus. Ita fiet, ut nobis, ut vobis, ut Regni Civibus, ut Ordinibus, optata pax per ſe ipſam conſtet.

Sed poſteaquam Cracovienſis & Zamoſcenſis Academiae iura, utrique a Conditoribus collata ſuis, iam ſupra dedimus, poſteaquam Leges Regni, Privilegia, ſcita, quibus eaedem nobiliſſimae Academiae tuentur ſuam, noſtram vero impugnant cauſam, explicate, atque ad verbum protulimus, oſtendimuſque, in iis, ſi quidem capiantur, *ut ſonant*, ineſſe nihil, quod Leopolienſi Acedemiae adverſetur: iam oſtendendum reſtat.

JN JOANNIS CASIMIRI EDICTO, PRO LEOPOLIENSI ACADEMIA LATO, PRORSUS JNESSE NIHIL, QUOD CRACOVIENSI, ZAMOSCENSIQUE ACADEMIAE DAMNO SIT.

Jn lucubratione Polonica Doctiſſimi cuiuſdam e Cracovienſibus Academici hanc lego ſententiam. (a) *Ego*, inquit, *ſentio, Caſimiri & Jagellonis Edicto, creandorum Doctorum ius ita eſſe peculiare ac proprium Urbis Cracovienſis decus, quemadmodum ius coronandorum Regum Polonorum nulli alteri, praeter Cracoviam eſt conceſſum urbi.* Edictum illud iam ſupra, vidimus, legimus, expendimus: eo tamen duo iſta decerni, nec vidimus, nec vigilanti cuiquam videri poſſe opinamur.

Credimus? an qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt (b)

Quid agis vir ſapientiſſime? *ita neceſſe eſt Polonos Doctores nuſpiam alias creari, praeterquam Cracoviae; ſicuti neceſſe eſt Polonos Reges, nuſpiam alias coronari, praeterquam Cracoviae?* Jta, inquit. Quid dicis ſi infero: *ergo quemadmodum nulla Lex Regni poteſtatem facit coronandi Reges Vilnae aut Zamoſtiae, ita pariter nulla Lex Regni poteſtatem facit creandi Doctores Vilnae aut Zamoſtiae?* Jlle vero ſic etiam argumentari non dubitat paulo infra. *Una eſt*, inquit *Religio, Unus DEUS, una libertas, in univerſa Polonia; ergo pariter una ſit, neceſſe eſt, Cracovienſis Academia in hac eadem univerſa Polonia.*

Mirum vero, non ſic etiam argumentatum eſſe! *Una eſt Religio, unus Deus,* IN TOTO TERRARUM ORBE: *ergo pariter una ſit, neceſſe eſt, Cracovienſis Academia,* IN TOTO TERRARUM ORBE. Sed ad nos quod attinet, quis non videt, pari nos libertate ſic poſſe colligere. *Tres ſunt Divinae Perſonae, tres Virtutes Theologicae &c. ergo tres pariter in Polonia Academiae?*

Alia

[a] *Reſponsna dyſkurs.* [b] *Virgil: Eclo: 8.*

Alia latina lucubratio, quae, *Propugnatio Jurium : : : Academiae Cracoviensis* inscribitur, Pag: 4 haec habet. *Quamvis*, inquit, *erectio Scholarum, multomagis publicarum Academiarum, de jure communi & publico numeretur inter Jura Majestatica, sitque de Regalibus unum, attamen tale jus Majestaticum in Regno Poloniae iam dudum diffusum est ad omnes Ordines Regni.* Quando, quaeso? quo seculo? quo anno? quibus Comitiis, qua lege? Vir & Historiae & Juris Polonici Publici scientissimus Gotfridus Lengnichius in suis de eodem Jure [a] commentariis, annos abhinc XVIII. editis, docet, Scholarum Publicarum instituendarum auctoritatem eo duntaxat casu ad Regni ordines pertinere, cum scilicet eaedem Scholae atque Academiae *e bonis Regiis, sive oeconomicis, dotandae forent.* Cum igitur Leopoliensis Academia istam non petat dotem, quid est, quod ejus instituendae jus Potentissimo Æquissimoque Poloniarum Regi AUGUSTO eat ereptum quispiam? Praeterea is ipse eruditissimus Lengnichius in hac, non indigna sapiente Viro, est sententia. *si inciderent alia*, inquit (de Regio scilicet in Polonia jure) *quae non attigimus, essetque dubium, utrum Rex ipse per se, an vero ordinum consensu, statuere posset; crederem silente lege, rationem pro Rege militare, ut in eo potestas esset integra, in quo neque lex scripta, neque usus eandem restrinxisset. Auctoritas enim Regis antiquior est Ordinum* (auctoritate) *cum quibus non tota, sed partes quaedam sensim & per intervalla temporum communicatae, ut videamur colligere posset Regi mansisse integrum, in cujus communionem ordines non venerint.* Jam sua ex his deducatur hypothesis Clarissimi Viri, D.D. Academici contendunt, *in Regiae hujus potestatis communionem ordines venisse iamdudum*, nec probant tamen, quod contendunt: nos contra negare possumus venisse; nisi quando novae Scholae Academiaeve, *e si bonis Regiis* dotandae forent. Probamus ptimum inde, quod nulla scilicet Regni lex, quae contrarium decernat, proferri possit: probamus deinde perpetuo, atque hodieque vigente, usu. Namque hac ipsa aetate nostra quot scholas publicas Regiorum edictorum auctoritate excitari vidimus, quin prope videmus hodieque? Et tamen tantum abest, ut non dicam tota Resp: sed ne parva quidem Reip. portio, puta, Territorium aliquod, id aegre ferat, iusque publicum queratur violatum; ut potius gratissimum id universis accidat; utque demum universa Resp plenis Comitiis easdem Scholas deinde approbet. Scholas vero tantum? Academiam Cracoviensem & Vilnensem, edicti Regii excitatam auctoritate, ea ipsa Resp quoties & quam libens approbavit!

Ruit igitur hypothesis illa, stat ista. Sed ponamus, nutare utramque, atque esse duntaxat probabilem. Universalis illa, quam praemisimus, publici iuris Poloni regula, utram inclinat in partem? utris aperte favet? nihil opus disquisito est: satis superque fuerit, eam hoc loco repetere: *si esset dubium utrum Rex ipse per se, an vero ordinum consensu statuere posset; crederem silente lege, rationem pro Rege militare, ut in eo potestas sit integra &c.* Non contendimus vero, hoc loco, auctoritate Lengnichii standum omnino esse. Id si vellemus, reponeretur fortasse (quam recte nescio) Virum doctum, at privatum, esse. Quae tamen argumenta is profert; in illis, ni confutentur, acquiescendum esse videtur.

At inquiunt, *Jus Patronatus Academiae Cracoviensis ad totam* MERE *Remp: pertinet* [b] Quid tum? pertineat sane. Num simile Academiarum Vilnensis & Zamoyscensis ius, non ad Remp. eandem pertinet? num idem ipsum

[a] *Jus Publicum Regni Poloni Tomo* I, *Lib:* 12. *§* VIII. & XXIX. [b] *Constit.* 1633.

demiae Leopoliensis ius non pertinebit? Nam quae Collegia, quae Scholae, Regiorum auctoritate edictorum hactenus excitatae, non agnoscunt, non venerantur, supremum Reip. ius summamque auctoritatem? Quae non illa se niti profitentur, gaudentque? Etsi vero complures variaeque sint Scholae hujusmodi, [sunt autem etiam Inclytorum DD. Academicorum novellæ Tarnovienses aliaeque] quas haec summa auctoritas necdum approbarit publice, illae tamen eius beneficii recreantur spe: utque illud aliquando petere, ut obtinere sit fas, publicis officiis, atque obsequiis promereri contendunt.

Cavit sibi Resp. (a) ne absque Ordinum consensu publicae unquam excitarentur Scholae in Cracoviensi Urbe, suisque appendicibus, Casimiriae. Stradomiae, Clepardiae; hoc fatemur: at cavisse eandem sibi, ne ullis prorsus alibi excitatis Scholis Academiae deferatur honor, hoc negamus, Negamus ullam exstare legem, qua vetentur Poloniae Reges, ejus rei potestatem facere, cui velint.

Praetereundum hoc loco non est, aliud longe esse, *Academiam condere*, aliud vero, *Scholis Collegiisve iam olim conditis, & a Rep. approbatis Academiae nomen impertiri.* Prius illud possit, necne possit, absque diserto consensu Ordinum, sola Regia concedi auctoritate, in medio tantisper relinquimus, quamvis novas ejusmodi, ut ita dicamus, colonias nulla Reip. lex deduci vetet. Posterius tamen istud in manu ac potestate suorum Principum omnino reliquisse, merito ea ipsa Resp videri possit.

Adduint, [b] qui nobis adversantur, *Pactis conventisque,* (nostrum forum *pacta conventa* conjunctim vocat) *cum Vladislao IV. Anno 1632, cum Joanne Casimiro, Anno 1540. cum Michaele I. anno 1669. Ordines Reip. cavisse sibi, ne recens electi Reges, quantum attineret ad negotia Cracoviensis Academiae pacandae, suorumque iurium integre tuendorum, ducantur Academiae Vilnensis exemplo: quod id exemplum scilicet legi publicae adversetur.* Reponimus I. in Vladislai pactis nihil horum reperiri. Reponimus II. anno 1640. non Joannem Casimirum sed Vladislaum IV. regnasse. Quinam igitur Joannis Casimiri pactis sanciri hoc potuit, 1640. anno? Reponimus III. quod ad pacta anni 1669. attinet, illorum eam ipsam esse formulam, quae est pactorum anni 1632. num. 60. Quid autem ibi de Vilnensi Academia? ne verbum quidem. Id quod videre licet supra § 4. num. 5., ubi pacta illa ad verbum retulimus. Quid est igitur, quod istis nos objiciendis urgent, qui nobis adversantur? Ita illi videlicet ea pacta interpretantur. Vilnensem ibi Academiam oblique peti existimant, illis verbis potissimum. *ut nulla in re legi publicae derogaretur, non permitendo leges interpretari, nisi ut quaeque per se sonant, neque exempla contraria respiciendo.* Isto inquiunt *exempli* nomine Vilnensis Academia intelligitur. Intelligitur? Quo argumento sat firmo? argumento autem? qua probabili conjectura intellectio ista nititur? Istud est, leges interpretari, *ut sonant?* Qui fieri ad extremum potuit, ut hoc *exemplum contrarium;* idest [si commentationibus istis credimus] pravum atque perniciosum universa Resp, toties ratum habuerit? tot edictis legibusque probaverit? tot beneficiis usque adhuc ornaverit? Videant Viri isti sapientissimi, ne, quae in nos, intorquent tela, ea in ipsos recidant, si quis dicat videlicet ista legum interpretatione, qua utuntur illi, leges palam convelli, Reip. decreta labefactari.

(a) *Const: 1635.*
[b) *Respons na dyskurs w Punkcie 4.*

Quae-

Quaerere tamen libet, quid tandem est, cur istis hominibus Vilnensis Academia malo esse videtur exemplo? Nempe Regia, inquiunt, Pontificiaque est auctoritate excitata. Hoc, vobis judicibus, malo exemplo est? dicite, quaeso VV. Clar. Ipsamet Cracoviensis Academia, cui tandem auctoritati suum debet ortum? non Regis Poloniæ cum Romano conspiranti Pontifice? Reip: quidem universæ lex, quæ illam probaverit, nisi vehementer fallor, anno primum 1613. lata fuit.

Etsi vero condendarum Scholarum Academiarumve ius atque auctoritas consensione omnium penes Principes Regesque sit, nec tamen Regnum, nec Reip. nostræ erga Romanam Sedem pietas atque religio negavit unquam, id ipsum ius, eamque auctoritatem, præcipua eximiaque ratione quadam, Romanis Pontificibus, nempe B. Petri Successoribus ac ipsius CHRISTI Vicariis convenire in primis. Imo vero non Polona duntaxat verum Christiana Resp. id sentiebat semper. Hac certe auctoritate Benedictus XI. Heilderbergensem anno 1388. Academiam excitavit: hac Urbanus VI. Coloniensem probavit: hac Bonifacius IX. Erfordiensem & Ferrariensem multis beneficiis auxit: hac Urbanus IV, Clemens VI, Patavinam confirmavere: hac Martinus V, Scoticam, Rostochiensem, Lovaniesem condidit: hac Alexander VI Valentinam; Urbanus VI. Viennensem; Pius II. Lipsiensem olim Catholicorum, Salmanticensemve. Alexander V. Ingolstadiensem, Sixtus V. Græciensem. Gregorius XIII. Musipontanam, Innocentius IV, Nicolaus III. Martinus II. Parisinam ratas habuere. (a)

Zamoscensis quoque Academia quantum Clementi VIII. debeat, voluit ad memoriam posterorum prodere Jllustrissimus ejus Conditor Joannes Zamoscius, cum eam non aliud praeferre insigne voluit, quam quod e suo Zamosciorum, nec non Clementis ejusdem insigni conflatum esset. [b]

De Cracoviensi Academia ita testatur Miechoviensis lib. 4. *Casimirus missis notabilibus nuntiis ad Urbanum P. V. hujusmodi fundationem a Sede Apostolica admitti obtinuit, Jacobus Archi Episcopus Gnesnensis, per literas Apostolicas Commissarius designatus, praefatum Studium Casimiriense, seu Cracoviense confirmavit.*

Agnoscunt igitur Regna omnia Pontificum in Academias quoddam jus: quodve isti salvis Regnorum eorundem legibus, Academiarum causa decernunt: id Reges, Resque Publicae omnes, grato & reverenti acceptant animo. Quare de nostra quoque Religiosissima, CHRISTIQUE Vicariis obsequentissima Polona Rep: non possumus non sperare; illam etiam Apostolicas SSmi Dni Nostri Clementis XIII. pro Academia Leopoli excitanda literas (Potentissimo praesertim Optimoque Principe Augusto III. Rege hanc ipsam probante) eo, quo par est, loco habituram.

Historias, quae ad istam attinere causam videri cuiquam possint, ab annis centum, eoque amplius, ut repetamus, neque locus hic tempusque patitur, neque adeo res praesens poscit.

[a) *Bullae Pontif. Annales Bzovii, Minderdorpium de Acad.*
[b] *Pięknorzecki w Księdze 2.*

Joannis Casimiri Edictum nequaquam esse abrogatum.

NUlla primum lex Regni exstat, quae illud abrogârit. Certe idem Edictum, totumque Academiae Leopoliensis negotium, eo ipso 1661. Anno, Varsaviae in Generalibus Regni Comitiis, itemque rursus 1662. diligenter discussum disceptatumque fuit; quin tamen quidquam decretum sit, quo seu Edictum hoc abrogaretur, sed excitandâ Academiâ interdiceretur. Desiderabatur duntaxat concors omnium Nuntiorum Provincialium consensio ut hoc idem Edictum, nec non ipsa Leopoliensis Academia lege publica probarentur. Si Resp: illis Comitiis, quum hoc idem antiquare Edictum, tum excitandâ Academiâ interdicere voluisset; quis eam prohibuisset, ne id lata sanciret lege? Nihil sancivit? omnino nihil. Quid illud est igitur, quo id ipsum edictum abrogaverit? imo adeo, quid est, quo eidem vel tantillum derogaverit?

Edicta quoque posteriorum Regum neque derogarunt de illo quidquam, neque per leges Regni derogare potuerunt. Lex Regni est (quam supra quoque indicavimus) anno 1613. his lata verbis. *Etsi secundum Leges aequitatemque ipsam, Privilegia contra Privilegia e Cancellaria nostra prodire non debent; tamen si hac in re cuipiam aliquod praejudicium fieret; decernimus, quod talia Privilegia, posterius in praejudicium priorum data, NIHIL valere debent.*

Intercessiones etiam nonnullorum Provincialium Nuntiorum (nostrum Forum *Manifestationes, Protestationesve Terrestrium Legatorum* appellat) nihil eidem Edicto derogant. Quippe ista sive intercessio ac interpositio, sive *Manifestatio Protestatiove* quemadmodum Decreto Tribunalis Regni, ita Edicto Regio nihil officit. Cum praesertim quibusdam, *ut abrogaretur*, intercedentibus, alii contra vel totidem, vel plures etiam, intercesserint, *ne abrogaretur.* Hac de re memoratam a nobis illam *Duorum Nobilium Virorum Dissertationem* legere, multum juverit. Illud quoque minime praetereundum hoc loco videtur esse, solius *Palatinatus Cracoviensis*, nec non *Terrae Haliciensis*, aliquos illo anno 1661. fuisse Nuntios, qui intercesserint: horum vero intercessioni longe plures e multis *Palatinatibus, Terrisque Russiae* Nuntios sese palam opposuisse, contrariasque suas Intercessiones in Acta Publica Judiciorum, quae *Castrensia* vocamus, multis in urbibus retulisse. Ad istorum classem pertinere merito videntur, qui, quod rem tum in medio relinquendam censerent, priori illi contra Leopoliensem Academiam subscribere noluerunt sententiae.

Aiunt Cl. Dni Academici, sub Comitia vel certe post Comitia 1662 anni, omnium Nuntiorum nomine Intercessionem fuisse scripto proditam: at illud scriptum nihil continet, quod nostrae huic adversetur causae. Aiunt, Intercessioni eidem 33. subscripsisse Nuntios: eccur non addunt, plures centenis subscribere noluisse, imo adeo ei subscriptioni reclamasse?

Aiunt ultra CC. DD. Academici, ab Equestri Ordine factam fuisse potestatem Prli Rdo Dno Winkler, contra Leopoliensem Academiam agendi Romae. Quaerimus, hoccine licuit? Licuitne inquam, seu Cracoviensi Academiae id agere, ut a paucis viris nobilibus fieret ea potestas

ſtas Univerſae Polonae Nobilitatis nomine; ſeu ipſismet illis paucis viris nobilibus, ut illud univerſi Equeſtris Ordinis mandarent nomine, de quo is ipſe Univerſus Ordo non modo in conſilium vocatus non fuit, non modo id neſciit, verum ne ſomniavit quidem? Nam ubi Univerſus hic Ordo huic edendo ſcito, huic ferendo edicto, conventum celebravit? Ubi, quando, itum eſt in ſuffragia? ubi quando, illa eſt auctoritas perſcripta? Nec in comitiis, nec uſpiam, nec unquam.

Norunt omnes quanta Equeſtris in Polonia Ordinis ſit auctoritas, Efficere illis per Generalia Regni Comitia, quod libet, licet. Si libuiſſet igitur excitandâ Leopoli Academiâ interdicere; quidni eo ipſo 1662. anno licuiſſet etiam? Jd Ordo iſte Ampliſſimus neque tunc, neque poſtea unquam fecit? cur ita? Noluit.

Rumorem ſpargunt CC. DD. Academici, Alexandrum VII. Romanum Pontificem, eo nixum poſtulato (quod erat paucorum ſcilicet, ſimulate tamen univerſorum nomine Romam deferebatur) Leopolienſis Academiae cauſam agi vetuiſſe Romae. Rumori huic fidem contendunt facere proferendis quibuſdam literis, quas quiſpiam ex Jllmis Rever. Sacerdotibus Romanis Vir gravis in primis & ſplendidus, Pontificis eiuſdem juſſu, ad Apoſtolicum in Polonia Nuntium perſcripſerit. Perſcripſerit. At ubi illae Pontificiae literae! Nuſpiam. Earum duntaxat exemplum (quam certum, nemo dixerit] in ejus, qui ſcripſit, Familia aſſervari aiunt. Quanquam illud quoque exemplum, qui a ſe viſum narrant, affirmant ſvaderi duntaxat iis literis, ut Rex ſuum de Leopolienſi Academia Edictum commodioribus reſervet temporibus exequendum. Quae vero Joannis Caſimiri, quam turbulenta ſcilicet, quam calamitoſa fuerint tempora, propemodum nemo neſcit.

Quod aliqui ex Equeſtri Ordine publicis conteſtati ſint ſcriptis, Leopolienſem ſe Academiam nolle, neve excitetur, vetare; ei conteſtationi contrariam haud paulo plures ex eodem Ordine, idque in ipſo adeo Cracovienſi *Palatinatu* fecere publice. Conteſtati ſunt, inquam, publice, Academiam ſe iſtam velle, utque excitetur, optare. Erit, cum conteſtationes ejuſmodi, in unum congeſtae corpus, ſi opus ſit, in lucem prodibunt.

Edictum igitur Joannis Caſimiri non modo abrogatum non eſt, ſed confirmatum etiam. Si quid de illius auctoritate aliquorum Interceſſiones derogaſſe videantur (quanquam re vera derogarunt nihil) contrariae certe longe plurium Interceſſiones illud reſtituiſſe in integrum videri debent. Nec iſtae ſolum. Regium praeterea Aſſeſſorum Judicium, in quo haec cauſa in utramque eſt accuratiſſime diſceptata partem, has ipſas Joannis Caſimiri Literas eſſe legitimas, ſuamque obtinere vim, pronuntiavit. Ei Judicio per ſe quidem Jll. DD. Academici non adfuere: qui tamen eorum tum acerrime tuebantur cauſam, quam multi & quam potentes adfuere!

Sed quod maxime ejus, quo de agimus, Edicti auctoritatem obfirmat, Regia eſt Auguſti III. auctoritas. Hic, hic Princeps Maximus novo ſuo Edicto vetus illud & ratum habuit, & quod eo decerneretur, ad exitum deduci voluit.

Sed ad extremum, quod ab omnibus expendi cupimus, iſtud eſt: Sedes Apoſtolica, pro Paterna in omnes facilitate, probat, habetque rata omnia, quaecunque Rex, Reſve Publica, aequitate ſalva, ſeu decernunt, ſeu petunt. Viciſſim igitur, quod Rex Optimus, quod ſummus Chriſti-

anorum in terris Pater, probant, concedunt, cupiunt; quis erit, cui non aequum, non laudabile, non ſanctum videatur, ut probet, ut concedat, ut cupiat etiam Polona Reſp:? Polona, inquam, id eſt ea, quae quum ſuorum Regum obſervantiſſima, tum vero in Chriſti Vicarios Romanos Pontifices religioſiſſima ſemper fuerit? cum praeſertim, quod poſcitur, nullis Patriis repugnet Legibus? nihil inclytarum, Cracovienſis, & Zamoſcenſis, Academiarum juribus? Cracovienſis certe Academia, quem ad modum ante hanc Noſtram Leopoli excitatam, erat ſemper *veluti pretioſa Margarita* (iterum enim ac iterum hoc de illa praedicandum cenſemus) *quem admodum erat ſtudium Generale, Fons irriguus, de cujus plenitudine hauriant univerſi, Mater & Magiſtra ſcientiarum;* ita deinceps quoque ſemper erit. Nos vero, nos omnes erimus qui eam *Academiarum Principem,* agnoſcemus, praedicabimus, venerabimur.

Ad M. D. Gloriam.

